

Johann Fecht Matthias Heinrich Burchard


**D. Judae Epistolae Catholicae, In qua Certaminis Fidei Adversus Impietatem Idea  
repraesentatur, Simulque recentissimorum Scriptorum circa interpretationem  
Epistolae errores deteguntur & confutantur, Exegetica Expositio**

Rostochii: Richelius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746436122>

Druck Freier  Zugang






Olaf Gerhard Tyntson  
Arbium Tiro

1730 7 5 2

Titalküpfar. Bibliotheca - 3/12/11  
Spez - " 16/11

R30 - Jc - 1605.<sup>1-3.</sup>

Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Rostochiensis



D. JUDÆ  
EPISTOLÆ CATHOLICÆ,  
In quâ  
**CERTAMINIS**  
**FIDEI**  
**ADVERSUS IMPIETATEM**

Idea repræsentatur,  
Simulqve recentissimorum Scriptorum circa  
interpretationem Epistolæ errores deteguntur  
& confutantur,

**EXEGETICA EXPOSITIO.**

Quam  
In Illustri ad Varnum Academia  
Consentiente Reverenda FCte Theologica,  
Sub PRÆSIDIO

*VIRI Summè Reverendi, Magnifici atq; Excellentissimi,*  
**DN. JOHANNIS FECHTII,**

SS. Theol. D. Ejusdemqve Professoris Publici, Consistorii  
Duc. Assessoris gravissimi & Dist. Rostoch. Superintendentis  
vigilantissimi,

Domini Patroni ac Præceptoris sui, sempiterno  
observantiæ cultu devenerandi,

Ad disputationem publicam proposuit

die Sept. A. 1696.

H. L. Q. C.

**MATTHIAS HENR. BURCHARDUS,**  
Holfatus,

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

D. JUDAE  
EMSTORAE SATHOLICAE  
CERETAMINIS

ADVERSUS IMPETITAM  
SATHOLICAE SATHOLICORUM  
SATHOLICORUM SATHOLICORUM

EXEGETICA EXPOSITIO  
in honore  
Consuetudine Re  
Theologica


DN. JOHANNIS FECHTII  
S. Theol. D. Honorandae Professores Publici, Consistorii  
Duc. Altonae, Academiæ, S. Theol. S. Theol. S. Theol.

Ab dissertationem publicam proponam  
H. E. G.

MATTHIAS HERR. BURCHARDUS  
Hollans

ROSTOCKII  
THE JACOB RICHTELL, Ampt. Rostock

*Bibliotheca  
Academica  
Rostochiensis*



I. N. J.

## PRÆLOQVIUM.



Pistolam Judæ breviorē brevi expositione illustrare aggredior. Quid enim opus est in hoc argumento diffundi, in quo novissimè & uno quasi tempore omnes ejus angulos magna ac curatione perreptarunt, in nostra quidem ecclesia *Christophorus Samuel Martini*, amplissimum in hanc epistolam commentarium, quantum hæcenus literatus orbis nunquam vidit, quique ideo à summo Theologo *Jo. Benedicto Carpovio* ab eximio labore, judicio & industria illustri præfamine commendatus est, exarando. In Reformatâ vero *Philippus Johannes Tileman*, dictus *Schenck*, in eandem epistolam non impari diligentia desudavit. Omnibus tamen facile palmam præripuisset magnum illud Academici quondam hujus decus, *Beatus Dorschæus*, si illis, quæ in laudatam epistolam molitus est, coronidem imposuisset. Sed dubium, utrum concatenata viri negotia illud prohibuerint; an vero supremam quidem cœptis imposuerit manum, illa vero, quæ jam desiderantur, temporis subdaxerit injuria. Invidit certè integrum posteritati laborem fortuna, nec ulteriora, quam quæ in quatuor principes versus commentatus est vir incomparabilis, amplius superant. Benè tamen est, quod hæc auro contra æstimanda *λεψαυα*, & quasi tabulæ ex tanto naufragio, non in manus inepti alicujus æstimatoris, sed summe Venerandi Præsidis delatæ fuerint, vel hoc nomine felices, quod à tanto censore colligi meruerunt. Hic itaque pro eximio amore quo Dorschæanos manes prosequitur, has, quas fortuna superesse voluit, reliquias, ab interitu vindicare, publicique

juris facere molitur. Quamquam enim mutilus labor est, atque *pendent opera interrupta*: pretium tamen illorum, quae superant, facile hanc jacturam compensabit. Quicquid enim de autoritate epistolae, quam praemanibus habemus; quicquid de occasione scribendi, quicquid de argumento ejus & tempore, & quicquid denique non protritum nec vulgare circa illam dici poterat, in illas paginas congestum esse dixeris, adeo ut illae omnem tanti viri eruditionis penum consumuisse videri possint. Itaque hoc perfectae expositionis specimen argumento erit, quam diversimode Numen sapientissimum dona in doctores suos dispensaverit; quamque alii alios vel antecedant vel sequantur, Divinae providentiae cultoribus constare possit. Quamvis autem tantorum virorum vestigia venerer, licebit longo intervallo illos sequi & sensum epistolae dicendorum quibusdam nervis inclusum publici exercitii gratia proponere. Neque tamen occasio deerit, dicendi aliquid, quod illi non dixerunt, immo nec dicere potuerunt, id est, vindicandi Spiritus Sancti, in hac epistola loquentis, mentem a glossis atque doctrinis, novissime ei, inaudito omni tempore, omni aetate ausu, illatis. Prolixitati studere non erit animus, quam quidem materialium, quae hic occurrunt gravitas desideratura esset, si illas curatius exequi intenderet aliquis. Haec enim epistola talis est (ita judicavit Hieronymus epist. ad Paulinum) ut sit *tam mystica quam succincta, & brevis pariter & longa; brevis in verbis, longa in sententiis*; & ut Rupertus Tuitiensis L. IV. de Op. Sp. S. c. XVI. Judas, ait, *brevi calamo multam intellectus facultatem comprehendit*. Ut adeo non minoris artis esse videatur ingentes divitias exiguo loculo includere, ac verborum breviter materiarum diffusam amplitudine dilatare. Itaque, quod bene vertat, institutum nostrum intra duorum tantum capitum complexum persequemur.



In

In Nomine Jesu!

Qui mentem calamumque ad promovendam Divini nominis gloriam & veritatis coelestis illustrationem regat atque gubernet!

CAP. PRIUS.

in quo,

quæ ad intelligendam epistolam generatim prærequiruntur, in compendio exponuntur.

§. I. **Q**vanti autoritas epistolæ Judæ *Luthero* nostro in præfatione ad illam, *Chemnitio* in *Examine*, & forte aliis etiam fuerit, palam est & à Romanis partibus jamdiu in obrectationem non ipsorum tantum, sed universæ ecclesiæ nostræ acerbè pertractum est. Qui tamen viri si paulo seqvius de ejus autoritate pronuntiaverunt (& ita ingenuè fatemur) quam Θεοπυσίας ejus requirebat, digni tamen ob ingentia in ecclesiam merita censendi fuerant, ut hoc aliquis tempori ipsorum mallet imputare quam animo. Momenta certe dubitandi ipsis non defuerunt; firmiora quippe atque sibi magis constantia antiquitatis testimonia desideravere. Abnuit quidem illud *Hulder. Coecius*, *Theol. Cathol. L. VI. Art. 27.* & ut laudatos viros impudentis temeritatis & hæreticæ pravitatis vincat, vel nubem testium grandemque catalogum producit ex Patribus, quos magno universaliqve consensu sine omni hæsitatione, pro Divina epistolæ hujus dignitate pronuntiasse existimat, ex quo intolerabile esse concludit, principem novitiæ religionis *Lutherum*, principemque reliquorum Theologorum *Chemnitium*, denique illos vastæ historiæ textores *Magdeburgenses*, novo ausu ex sacris libris, comprobata totius orbis suffragio epistolam exterminasse. Ceterum quam temere tantam testimoniorum jactitet turbam & quantum lectori fucum faciat *Coecius*, nemo alius perspicuè magis indicavit *Dorschaus* nostro, cuius

jus paginæ hic utiqve consuli merentur. Hic itaqve postquam singula loca, ex Patribus promiscuè adducta, accurato subjecit judicio, ostendit deinceps, quam ingens hæc testimoniorum sstructura infirmo sanè sustineatur fundamento. Nam modo fidem in Pontificio desiderat, fraudem ejus in laudandis Patribus in lucem protrahens; modo indicat, loca quædam, quibus gloriatur, antiquitatem duntaxat epistolæ, non vero τὸ κανονικὸν probare, & si hoc, non parem tamen cum ceteris Scripturæ libris autoritatem concedere. Tum etiam non omnes Patres satis accuratos sacrorum fuisse librorum censores, hoc quidem argumento, quod quidam ex illis, qui epistolam Judæ pro Canonicâ receperint, illos etiam libros, de quibus nemo amplius, ne Pontificius quidem, jam litem moveat, quin apocryphi sint, pro Sacris admiserint. Adhæc illos etiam, qui Coccio videantur probare τὸ κανονικὸν epistolæ, non sibi ipsos constare, nec sine hæsitatione proferre sententiam. Accedere, quod summi in ecclesia viri autoritati epistolæ contradixerint. Præterea infreqventer à Patribus fuisse citatam; & deniqve illos eadem dubitandi momenta adduxisse, quibus & *Lutherus* ad dubitandum de epistola permotus sit. Hac itaqve ratione ingentem illum Coccii apparatus eludens vir πολυμαθὴς, *Lutheri* famam à calumniis adversariorum egregiè vindicavit.

§. II. Neqve tamen diffitendum est, quæ magno numero adduci solent, ut ex Sacro canone excludatur Judæ epistola, haud satis gravia esse ad illud obtinendum. Refutationem illorum hic instituere nihil attinet; abunde jam satis factum ab aliis, & si uberiora desiderentur, Dorschæana ἀνέκδοτα illa suggerent. Elucent certe ex ipsa epistola multi clarissimiqve Divinitatis radii, qui non in antiquitate tantum integris conciliis & venerando Patrum choro, sed & in recentiori hac ætate toti ecclesiæ nostræ ita oculos præstrinxerunt, ut jam diu ab omnibus sine omni dubitatione reci-

recipiatur. Certum itaqvè est, non esse Apocrypham hanc epistolam, non tamen in illum librorum Scripturæ S. censum referendam, qvi à Theologis differentia causa dicuntur *ωσθησανονικῶν*, seu de quorum autoritate nunquam dubitatum; sed ex illorum esse numero, qvi appellantur *δευτεροκανονικῶν*, qvi quidem autoritate Divinitatis reliquis non sunt minores, de quibus tamen aliquando à quibusdam dubitatum fuit.

§. III. De autore & ejus stemmate varia disputari solent, ab iis utiqvè, qvi audaci temeritate (verba sunt *Hieronymi*, ep. ad Helvid.) prolixas genealogias texere gaudent. Id tamen de autore nostro (qvi alias Thaddæus seu Lebbæus audit) quantum quidem ex Scriptura S. colligi licet, perspicuè constat, fratrem germanum habuisse Jacobum, qvi minor dicitur, Marc. XV. 40. tantæ ea tempestate in ecclesia autoritatis virum, ut & ipse cum Petro & Joanne, *σὺλοι*, in quibus veluti recumbere videretur ecclesiæ structura, dicerentur. Non reticuit itaqve tanti fratris nomen Judas, sed sub initium se Jacobi fratrem esse indicat, cum ut ab altero proditore Juda discerneretur, tum etiam ut autoritatem literis suis conciliaret. Maximi *Hugonis Grotii* hic diversa est sententia, qvi Episcopum quendam Hierosolymitanum, epistolæ hujus autorem facit. Et cum verba, quæ autorem epistolæ fratrem fuisse Jacobi manifesto testantur, reclamarent, à scribis illa malâ fide adjecta fuisse asserere sustinuit *Grotius*, nulla antiqui codicis autoritate, nullo veterum testimonio producto, atqvè etiam refragante *Epiphanio* (hær. XXVI. c. 2.) cujus tamen autoritatem gravissimam sibi esse, alibi Annotat. in Apocal. testatur.

§. IV. Dispiciendum nunc erit, ecquid Scriptorem Sacrum ad has consignandum literas moverit? Vivebat ille perditâ tempestate & vitiorum & pravæ doctrinæ semina à falsis Prophetis & Doctoribus passim spargebantur; jamqve

jamque illorum leges ferè ad maturitatem pervenisse videbatur. Simoniana, Nicolaitica & Gnosticorum impietas jam tum latè vagabatur. Ad quos quidem vel præcipuè digitum intendisse Apostolum, & ex Petrino asserto 2 Pet. II. 1. (quod caput, cèu epistolæ nostræ ex asse *παρομιλιαν*, cum hoc perpetuo conferendum est) clarè patefcit; & haud scio an ullus, qui in hanc epistolam sive ex veteribus, sive recentioribus commentatus est, negaverit. Notæ certè quibus heic insignes redduntur *ψευδοδιδασκαλοι*, tales sunt, ut egregiè in hæreticos, quos dixi, conveniant. Quod quidem, si consulatur antiquitas, & imprimis illi, qui de ejus temporis hæreticis aliquid memoriæ prodidere, perspicuum erit. Longum foret singula *κεκτήρια*, quibus notatur illud hominum genus, expendere. Præcipua tamen examinabimus. A Simone fiet initium. Cujus artes qui consideraverit, quibus in ecclesiam veterator irrepfit, belle in ipsum quadrare fatebitur, quod ab initio epistolæ ait Apostolus: *τινες παρεισόδουσαν*, quâ voce fraudem hæreticorum indicat autor *θεόπνευστος*, quippe qui sub specie pietatis & Christiani nominis se in ecclesiam insinuaverint. Idem de Simone constat, qui quantum simulandi artifex fuerit & quam speciosum scelestæ suæ doctrinæ prætenderit titulum, & in Actis Apostolicis fuscè recensetur & nemo alius graphicè magis describit, quam magnum illud omnis eruditionis promptuarium Epiphanius; ita autem ille hæc. XXII. §. 2. *Sub Christiani nominis specie, tanquam veretro (sèu bel-leboro) fel admiscens, sic illius appellationis splendori lethale venenum infudit, idq; iis obtulit, quos fraudulenter captatos, & ad impium hunc errorem protractos in exitium adduxit. Porro quod sacer scriptor de iis, à quibus suos dehortatur, pronuntiat, quod sint τὴν οὐκ ἔχειν μετ' αὐτῶν εἰς ἀσέλειαν; ecquid verius de Simone pronuntiarî potest? Quem gratiâ Divina ad omne flagitiorum genus abusum esse testatur, tum vita cunctis scelerum sordibus maculata; tum etiam doctrina*

doctrina, quæ tam præclara facinora, quæ scelestus patra-  
 verat, non solum non improbabat, sed pro honestis etiam  
 venditare sustinebat; testantur idem quoque abominanda  
 mysteria, quibus auditores ejus initiabantur, ne quid di-  
 cam de idololatria hominis, quam ut rem indifferentem,  
 simul etiam omnium licentiam scelerum suos docuit. Ut  
 adeo impietatem non solum practicam (ut vocant) sed etiam  
 theoreticam & doctrinalem exercuerit. Præterea quod  
 de falsis doctoribus affirmat Apostolus, quod gloriæ Sal-  
 vatoris nostri detrahant, illumque unicum herum negent,  
 hoc quoque in Simonem convenire indicat sacrilega ho-  
 minis vox, passim apud Patres obvia, quæ Servatori no-  
 stro unice debitum honorem sibi vindicavit, se esse dicti-  
 tans: τὴν μεγάλην θεῶν δύναμιν, καὶ ἀναθεὴν κατὰ βεβηκέναι; nugatus  
 præterea, ut ex *Epiph.* L. I. & *Iren.* L. I. adversus hæc. c. 20.  
 apparet, se in Samaria ut Patrem descendisse, in Judæa ut  
 Filium, & reliquis gentibus ut Spiritum S. apparuisse.  
 Hæc & alia *πικρήματα*, quibus ab Apostolo insigniti sunt fal-  
 si doctores, licet optime Simoni congruant, à Nicolaitis  
 tamen, Cerinthianis & ejusdem futuris hæreticis neuti-  
 quam abhorrent. Nam quanta vitæ impuritate totus hic  
 grex se polluerint, palam est; hinc decantatum illud, à *Clem.*  
*Alexandr.* L. I. Strom. laudatum Nicolaitarum proverbium:  
 δὲ παραχρησάτω τῆ σαρκί; hinc Cerinthianis à vitæ tur-  
 pitudine Borboritarum inditum nomen. Et tamen hi cœ-  
 nosi doctores, nescio quas revelationes & Angelorum ja-  
 ctabant alloquia, uti de Nicolaitis quidem *Epiphanius* hæc.  
 25. & *Philastrius* de hæc. c. 33. memoriæ prodidit, illorum  
 portentosa dogmata variis visionibus & somniis innixa ef-  
 se asserens: de Cerintho vero autor est Gajus apud *Eusebi-  
 um* L. III. c. 28. Angelicas revelationes ostentasse illum. Et  
 quantum scientiarum sibi arrogaverint asseclæ ejus, quam-  
 que prætumida & *ὕπεργα*. (uti vanam illorum scientiæ o-  
 pinionem appellat Judas v. 16.) locuti fuerint, ambiciosum  
 B nomen

nomen argumento est , quod appellari voluerunt *γνωστοί*,  
quam appellationem quidam ab ipso Simone Mago derivant,  
& ad eandem alluisse Apostolum 1 Tim. VI. 20. adeo vero  
simile est, ut vix dubitari possit, imo ex veteribus diserte  
affirmat *Theodoretus*, nec abnuunt clarissimi quique antiqui-  
tatis scrutatores, rem ipsam certè, *γνωστον* scilicet *ψευδόμενον*,  
cum vitæ impuritate conjunctam, Apostolico ævo existi-  
tisse testimoniorum cumulo comprobantes, quos inter ce-  
leberrimi viri, *D. Casp. Sagittarius* in *Introd.* p. 958. & *Thom.*  
*Ittigius* de hæres. Sect. II. c. IX. §. 1. novissime legi merentur.  
Qui tamen *γνωστοί*, multo rectius *καταγνωστοί* (& ita  
elegantè *Epiphanius* hæres. 26. insaniam illorum eludit) dici  
debuissent.

§. V. Licet itaqvè certum sit, ejusmodi hæreticos  
præcipue divino Scriptori hanc consignandi epistolam oc-  
casionem dedisse: non tamen est, quod quis dubitet, innui  
hic quoqvè alios, in ipsius veræ religionis complexu vo-  
luptuosæ vitæ deditos, Epicuri de grege, qui ex hæretico-  
rum assertis occasionem sumebant, evangelio ad omne vi-  
tiorum genus abutendi. Quam enim hæretici ex ipsa do-  
ctrinæ suæ indole, voluptatum cæno sese collutulandi, oc-  
casionem arripuerunt, eandem & veræ ecclesiæ professo-  
res, religionis & libertatis Christianæ *σεφάσι* abutentes,  
ad carnis licentiam, quod, proh dolor! & hodie fieri solet,  
conquisivisse, nemo, qui epistolam nostram vel perfuncto-  
rie lecturus est, infitiabitur.

§. VI. Illud quoqvè asserendum videtur, non in sui  
duntaxat temporis hæreticos Simonianos, Nicolaitas &  
Gnosticorum turbam digitum intendere Apostolum: sed  
in illos etiam, quos olim ecclesiam turbaturos esse præ-  
videbat vir *κατὰ πνεύματι* *ἁγίου* *φερόμενος*, omnes quippe  
perstricturus, qui gratiam DEI translaturi, eorum qui jam  
tum vivebant exemplo, ad luxuriam essent, quorum ube-  
rem semper fore proventum illum non fallebat. Imo no-  
stri

stri quoque temporis fideles monitos voluit ab iis, qui sub Christianismi larva latitantes, nihil non licentiæ suæ permittunt. Cujus quidem hominum generis non aliam hac nostra ætate feraciorem esse, experientia testatur. Atque adeo asserere non dubitat *Lubinus* noster, in præfatione. Exercitat. Theol. ad hanc ep. *banc epistolam in hanc potius tempestatem, quam in illud priscum seculum, quo scripta est, competere & pergit: Certe in illâ, AntiChristiani & Libertini Archihæretici ita suis coloribus depinguntur, ut exactius non potuerint, si etiam prisco seculo admoto quasi penicillo ab ipso Apostolo vivo vivi depingi cœpissent, quasi illos coram oculis suis esset arbitratus.* Quæ quidem imago, cujus quasi lineamenta subjecit Apostolus, quam per omnia & Libertinos & Pontificios, interque hos vel maxime Jesuitas referat, pluribus deinceps vir laudatus exequitur.

§. VII. Scopum atque argumentum epistolæ continent verba, quibus in fronte suos hortatur Apostolus: *ἐπιγινώσκοντες ἡμῶν τὴν ἀνομίαν, παραδοθέντων ὑμῖν ἀγίοις πῖστι.* Certamen itaque fidei adversus impietatem argumentum esse epistolæ dixerit aliquis. Cum enim ejusmodi tempora essent, de quibus audivimus, & in ipsa ecclesiæ penetralia irrepissent homines, qui sub evangelii prætextu non tantum nullis non sceleribus indulgerent, sed & ipsa scelera, quod horrendum auditu est, docerent, seu, ut recentiore verbo utar, dogmatifarent: monendos sibi duxit Judas teneros fidelium animos, ne in fide labascerent, sed potius pro illa contra impiorum turbam impigre decertarent, memores pœnarum, quas sæpe antehac illi dederint, qui ab agnita veritate sive sententiarum sive vitæ apostasia inconsulte refugerint. Nec esse quod mirentur, tot hæreticis obnoxiam jam esse ecclesiam, antiquum enim etiam obtinere; ejusmodi exstituros homines dudum prædictum; cavendum ab illorum consortio; nihil illis sceleratius existere; & doctrina & moribus esse corruptissimos; ideo

certa ipsos olim manere supplicia, qvalia jam antehac ab ejusmodi hominibus non infrequenter exegerit Divina Nemesis. Deinde sub finem ad constantiam illos in sincera fide & vitæ sanctimonia hortatur, & ut non sua solum, sed aliorum etiam salus ipsis cordi sit admonet. Deniqve familiare Apostolis votum adjicit, fideiqvè perseverantiam suis precatus, concludit solenni *δοξολογία*.

§. VIII. Quod si particulatim universum epistolæ argumentum disseccare, oculisqvè œconomiam ejus objicere placuerit, producit in certamine fidei contra impietatem

I. Hostis, contra quem ineundum est certamen. Qui est uno verbo impietas seu *ἀσέβεια*, v. 4. Quæ deinceps impietas, generatim accepta, prout five mentis sententias, five voluntatis actiones, Divino verbo repugnantes, complectitur, in varias & multas admodum species digeritur, utpote

- v. 4. Licentiam sub Evangelii larva luxuriose vivendi.
- v. 4. Publicam, ex qua tam fœda licentia originem sumit, doctrinam.
- v. 5. Abnegationem Christi, tamqvã Domini & DEI nostri.
- v. 5. Infidelitatem, adversus Divinum verbum exercitam.
- v. 6. Apostasiam ab eo, quod est Divinæ institutionis.
- v. 6. Defectionem à fide ab Apostolis tradita.
- v. 7. Sodomiam & libidinis, quæ est præter naturam, studium.
- v. 7. Fornicationem universim.
- v. 7. Peccandi consuetudinem & *ἀναίσθησιαν*.
- v. 8. Criminationem imperii Christi & SS. Ministerii Ecclesie.
- v. 8. Turpem carnis pollutionem. (sic.)
- v. 8. Majestatum blasphemationem.
- v. 9. Præceps adversus aliorum actiones judicium.
- v. 10. Intempestivam eorum, quæ non intelligas, obrectationem.
- v. 10. Vagam beluinamqvè libidinem. Per-

- Persecutionem verorum ecclesiæ doctorum.  
 v. 11. Invidiam adversus DEI dona flagrantem.  
 Turpem sordidamque avaritiam.  
 Inobedientiam & seditionis amorem.  
 v. 12. Impudentiam, de alieno vivendi.  
 Immisericordiam, aliis de suo impertiendi.  
 Fastum, super alios sese efferendi.  
 v. 13. Speciem pietatis, sine interna virtute.  
 Insanam in agendo temeritatem.  
 Flagitia publica & privata.  
 v. 15. Effrenem lingvæ proterviam.  
 Murmurationem, bona quælibet obrectantem.  
 Paupertatis, ad alios emungendos, simulationem.  
 Typhum & jactationem propriæ perfectionis.  
 v. 16. Captationem quæstus & lucri peccaminosi.  
 Adulationem putidam erga magnos & divites.  
 Eorum, qui in inferiore conditione sunt, contemp-  
 tum.  
 Veterum vaticiniorum illusionem.  
 v. 18. Propriarum cupiditatum opinionumque insanum a-  
 morem.  
 Exitiosorum schismatum excitandorum cupidita-  
 tem.  
 v. 19. Vitæ carnalis & mundanæ sectationem.  
 Vitæ spiritualis, quæ in DEO unice acquiescit, con-  
 temptum.  
 v. 23. Cupidum quarumlibet ad peccandum illecebrarum  
 amplexum.

II. Arma adversus immanem hunc hostem, tanta  
 copia fideles circumeuntem, expedienda. Quæ uno fidei  
 nomine generatim complectitur Judas v. 3. Intelligit au-  
 tem fidei doctrinam, ab Apostolis traditam, quæ isthæc  
 præcipue momenta, quasi tela quædam, adversus hosti-  
 lem exercitum educenda, commendat:

B 3

v. 3. Ipsi-

- v. 3. Ipsius fidei indolem, prout illa ab Apostolis constituta est.
- v. 4. Divinas, de fugienda impietate, admonitiones, jam olim factas.
- v. 5. Exempla impietatis multifaria, horrendis suppliciis punitæ.
- v. 9. Bonorum exemplorum, ad imitationem nos invitantium, speculum.
- v. 14. Memorabilis vaticinii, de extrema mundi malitia, considerationem.
- v. 17. Eiusdem per Apostolorum voces repetitam confirmationem.

{ Summam & ineffabilem doctrinæ Christianæ sanctitatem.

{ Ardentissimum precum studium.

{ Pertinacissimum Divinæ majestatis amorem & venerationem.

{ Patientiam & Divini auxilii expectationem,

v. 21. Infirmorum tolerantiam.

v. 22. Præfractorum manifestam redargutionem.

III. Conflictus. Qui generatim voce *επαγινωμῆς* exprimitur v. 3. Intelligitur autem indefessa, momenta antea memorata in exercitium deducendi, industria. Quæ fit

v. 5. Revocando ea sibi perpetuo in memoriam.

v. 17. Sanctum obsequium iis semper præbendo.

v. 20. In illis quotidiano profectu sese magis magisque confirmando.

v. 21. Ad finem vitæ usque perseverando.

§. IX. Antequam ad ulteriora pergimus, operæ præmium erit considerare: An Judas sua ex Petro desumpsisse, vel Petri epitomator dici possit? Sacros Scriptores iisdem sæpe uti verbis constat & fusius probat laudatus antea *Dorscheus*, quo loco respondet objectioni illorum, qui ideo, quod cum posteriori Petrina ita conveniat hæc epistola, ut

ex

ex illa descripta esse videatur, *videtur* illam accusare sustinent. Regeritque vir nunquam non honoris causa nominandus; tantum abesse, ut convenientia rerum atq; argumentorum inter duo scripta alterutrum faciat supposititium, ut potius in dogmaticis simplicis & sibi semper constantis veritatis indicium sit. Sic inter caput quartum Micha & Jesaie secundum, magnam esse convenientiam, nec tamen inde sequi, alterum esse supposititium, conferenda etiam loca Hagg. 1. 6. Deut. XXVIII. 30. Mich. VI. 15. Præterea licet Judas quædam habeat, quæ etiam reperiantur 2 Pet. III. tamen plurima ad idem argumentum prolixius deducendum, Spiritus S. impulsu adjecta esse; nonnulla etiam paulo aliter scopo suo applicavisse quam Petrum; & deniq; quæ eadem habeat cum Petro, rectissime assumisse, quia eisdem cum Petro lectores habuerit, atq; ita priorum argumentorum pondera repetivisse. In eundem fere sensum Lulinus ait loco citato: *Propheta posteriores priorum scripta legerunt & in sua scripta retulerunt.*

§. X. Ex his itaque patet, posse aliquem scriptorem sacrum alterum contrahere, vel quæ usui sibi sunt, excerpere, salva tamen *θεοπνευσία*. Ut enim Spiritus S. se demittit ad stilum Scriptori natura familiarem, quemadmodum Amosus agrestius dicendi genus, Esaias regium, sublime Johannes, popolare Jacobus amat & sectatur, ut tamen hoc non obstante & res & verba ab illo inspirentur: ita quid prohibet, quo minus Spiritus Sanctus se ad studium & meditationem scribentis, qui modo ex suo ingenio, modo ex aliorum, imprimis *θεοπνευστων*, collatione scriptum suum componit & exornat, possit accommodare, & tamen ipsi inspirationi nihilominus per omnia sua vis constare? Quæ comparatio ita evidens est, ut à nemine possit negari. Et probabile est, id ideo fieri, quia DEUS ubique nobiscum versatur ut homo cum homine, & omnia ea imitatur, quæ imitari, ad nos facilius lucrandos, potest. Promptius enim animo nostro illabuntur, quæ humano

mano modo fiunt. Quæ cum ita sint, & nihil præjudicet *ὁ μυστικὸς* scriptoris sacri, alterum five exscribere five contrahere, temere cum *Tilem. Schenkio* afferendum non est, *neminem Divinorum Scriptorum antecessoris sui compilatorem vel epitomatorem habendum esse*; & haud scio, an censuram meruerit *D. Hornejus*, epistolam *Judæ compendium epistola Petrina esse* afferens. Ecquid enim autoritati epistolæ ad Romanos decedit, quod totius scripturæ epitome appellari consuevit, aut Marco, qui aliquibus pro epitomatore Matthæi habetur?

§. XI. De tempore, quo scripta est Judæ epistola, sunt, qui illam, sexennio alterâ Petrinâ priorem consignatam esse existimant, cum alii illam Petrinâ posteriorem faciant. In his sententiarum divortiis *Dorschai* veneramur vestigia, incerta hic omnia esse pronuntiantis. Conjecturæ tamen ejus huc redeunt, scriptam fuisse post secundam Petri, & illam quoque sero admodum fuisse conditam, plerisque jam Paulinis editis, uti colligere facile sit ex 2 Pet. III. 16. Judæ vero literas, post pleraque Apostolorum, adeoque & ipsius Petri, scripta prodiisse; atque id minime obscuris notis indicare versum decimum septimum, ubi ad reliquos omnes provocet, ceu se in scribendo antecedentes; quo accedit, quod, observante *Tilemanno*, Petrus de falsis doctoribus tanquam in futurum surrecturis, 2 Pet. II. 1, 2, 3. Judas vero de iis loquatur, qui jam *παρεισέδυσαν*, seu introierunt.

§. XII. Inscriptionem epistolæ non esse Apostoli, sed a recentioribus additam, pridem observatum est. Hinc variantes illæ lectiones. *Leusdenii* ita habet editio: *Ἰὺδα τῆς Ἀποστόλου Ἐπιστολῆς καθολικῆς*; Beza hanc verborum structuram observat: *Ἐπιστολῆ τῆς Ἰὺδα καθολικῆς*. Aliorum aliter. Catholica dicitur, non ut quidam existimant, quasi ad omnes Judæos destinata: sed ad differentiam Paulinârum, quæ uni aut regioni & populo, aut urbi, aut personæ inscriptæ

scriptæ erant: cum reliquæ, numero septem, epistolæ, quas inter hæc nostra etiam, sine discrimine omnibus inscribantur fidelibus, ubicunqve locorum versentur. Hinc ab iis, quicunqve demum fuerunt, qui septem illas collegere epistolas, καθολικῶν fuere insignitæ.

CAP. POSTERIUS.

In quo

*Divinus verborum Apostolicorum sensus, adjectis observationibus & doctrinis, sistitur.*

§. I. **J**udas cognomento Lebbæi, item Thaddæi, Jesu V. I. **J**Christi, totius generis humani servatoris, servus, ab ipso quippe in Apostolum & doctorem totius mundi constitutus; frater autem Jacobi, filii Alphæi, viri instar columnæ in Ecclesia habiti; iis qui à me aliisque Apostolis ipsius jussu ad Christianam ecclesiam & æternam olim in cœlis salutem vocati, atqve adeo à reliquo hominum grege in DEO Patre per fidem vitamqve Christianam separati atqve sanctificati; quique à Jesu Christo per eandem fidem, potenti DEI dextra, per ministerium ab ipso constitutum, ad finem fidei, qui est animarum beatitudo, conservantur.

§. II. Quod servum se Jesu Christi hic prædicat Judas, nihil auctoritati epistolæ decerpere posse pridem observatum est. Nam & Paulus quandoqve hoc contentus est titulo, Phil. I. 1. Et forte non aspernanda est Salmeronis conjectura, ideo Apostoli appellatione abstinuisse Judam, quod jam confirmatæ in Ecclesia auctoritatis & nemo illi temere litem moturus esset de dignitate Apostolica; quæ vero, quoniam in Paulo à quibusdam in dubium vocabatur, ab illo, ut auctoritatem suam assereret, frequentius fuisse adhibendum Apostoli nomen. Inde vero, ne aliquam præterire occasionem sinat Salmeron, Petro principem inter Apostolos locum vindicandi, intempestive ingeniosus est, causamqve, cur servum se J. C. dixerit Judas, hanc

C

quo-

quoque esse fingit, nempe ut Petro primas deferret. Quid enim? Annon ipse quoque Petrus servum se nominat? Quod vel ex secundæ ejus epistolæ initio apparet.

§. III. Ceterum ut ad illa verba: *πῆς ἐν Θεῷ πατρὶ ἡμετέροις*, veniamus, non diffidendum est, nonnullos reperiri codices, qui hæc verba ita legunt: *πῆς ἐν Θεῷ πατρὶ ἡμετέροις*. Utra placeat lectio, perinde est, nec quicquam veritati decedet Apostolicæ. Præstantissimos tamen plurimosque codices priorem probare lectionem constat. Atque adeo alteram duriozem appellare non dubitat *Calvinus*, corruptam illam esse judicans; in paucis certe reperiri exemplaribus. Itaque non erat, quod hic adeo tumultuaretur *Lorinus*, Novatorum titulo illos onerans, qui priorem servant lectionem. Verum non adeo id in *Lorino* miretur aliquis; agitur enim in hoc Vulgatæ suæ, quæ alteram retinuit, autoritas, contra quam hiscere velle religio foret.

§. IV. Sed quid *sanctificationis* nomine intelligit Apostolus? In generaliore acceptione sanctificari id dicitur, quod separatur à profano & ad sacrum transfertur usum. Hac ratione sanctificati tempore N. T. dici poterant illi, qui per Apostolorum ministerium è Judæorum & gentilium sordibus exempti, doctrinam evangelii ad justificationem sui receperant, id est, facti fuerant Christiani. Quotupliciter hæc vox in scriptura accipiatur & quo maxime modo hic accipi debeat, *Dorschæana*, hætenus *avéndo*, nervosa brevitate docent. Patri autem hæc tribuitur sanctificatio; hic enim fons quasi sanctissimæ Divinitatis existit & salutis nostræ, quare & initia ejusdem merito ei tribuntur, quo tamen non obstante & Spiritui S. *κατ' ἰκονομίαν* plerumque assignatur, eo haud dubie sensu, quo hominum à mundo separatorum à pristinis peccatorum sordibus renovationem paulo specialius designat.

§. V. Magnus hic labor, magna cura est *Tilemanno Schen-*

*Scbenckio*, ut probet, sanctificationem hic idem notare, quod est electio, quæ Patri tribuatur, quia per Christum eligat, conservationem Christo, qui electos à Patre acceperit redemeritque, vocationem Spiritui S. Hosque actus eodem ordine, quo in hoc versu ponuntur, re ipsa sese insequi. Id nempe intendit, conservationem & vocationem ex electione, tanquam fonte promanare. DEumque primum elegisse eos, ad quos Judas scribit, citra intuitum antecedentis in ratione Divini intellectus vocationis, fideique vocationem acceptantis; utque electionis finem, qui est animarum salus, obtinere posset, Christum ordinasse redemptorem & vocationem Spiritus S. vi plane irresistibili electos ad fidem adducturi. Et quia DEus eligens per media, Christum redimentem & vocationem, fidem redemptis quasi obrudentem & intorquentem, agat, conqueritur de summa *injuria & calumnia, cujus Satanam ipsum merito pudere deberet*, quia Calvinianis absolutum electionis decretum vulgo imputetur. Sed revocandum doctissimo viro in memoriam est, I. neminem unquam Lutheranorum tale absolutum decretum Calvinianis imputasse, quod sit absolutum à mediis, electionem, in signo rationis Divinæ jam factam, insequentibus: sed id unice & solummodo iis objecerunt, quod faciant decretum electionis à præcedaneo intuitu oblatae & acceptatae vocationis, id est, fidei, absolutum. Quale absolutum decretum hoc loco adeo non negat *Tilemannus*, ut id potius laudet & propugnet, Aut igitur ostendat vir clarissimus, unum ex Lutheranis omnibus, qui absolutum decretum Reformatis priori sensu adscripserit, aut per jugulum illi redeant sua verba: *injuriam hoc esse & calumniam, cujus Satanam ipsum merito pudere deberet*. II. Largiri citra ornne detrimentum nostrum possumus, sanctificationi electionem includi; nam & alibi Apostoli scribunt ad electos; sed tamen inde non sequitur, ex electionis decreto & redemptionem Christi & vocatio-

nem Spiritus S. promanare. Nam nec in voce electionis, nec in sensu ejus, in Scriptura descripto, quicquam repugnat, quo minus intelligi possint electi prævio fidei intuitu & in hac fide à Christo conservati. Absolum enim argumentum, a genere quippe ad speciem affirmative concludens, esset, audita electionis voce, absolutam illico exaudire. Sed vero III. rectius diximus, sanctificationis vocabulo, non electionem stricte, sed separationem exprimi. Multi autem ab infidelium cœtu separati Ecclesiæ aggregantur, qui nondum sunt electi. Quia nempe *ad tempus tantum credunt, sed afflictionis tempore à fide deficiunt* (quæ de fide proprie dicta & salvifica, deqve defectione ab eadem fide, eousqve jure accipimus, donec ab hac litera recedendum esse immotis nobis argumentis fuerit comprobatum) Luc. VIII. 13. Fidelibus autem omnibus singulisqve scribere Apostolum, extra controversiam positum est. VI. Palmarium Tilemannianæ sententiæ fundamentum, nexus nempe vocabulorum, sanctificationis, conservationis & vocationis, lubricum plane est & ruinosum. Vocem enim κλησίς (quod jam olim *Lyra* observatum) quanquam in Grammatica constructione ceteris omnibus postponatur, Logica tamen analysi primum occupare locum & subjectum exprimere, de quo duo ista: sanctificatio & vocatio, prædicentur, haud dubium est illi, qui consideraverit, non dici à Juda: πῖς ἐν θεῷ πατρὶ ἡγιασμένοις, καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ πετημένοις (καὶ) κλησίς; sed copulam καὶ planè omitti, quod manifesto indicio est, ἵδς κλησίς eos esse, quos primo alloquatur Apostolus, quæ vox ideo nominaliter potius quam participialiter accipienda est, & de quibus deinceps demum affirmet, eos esse à Patre sanctificatos & à Christo conservatos. Quo posito ex hypothesi Tilemanniana plane contrarium sequitur, nempe vocationem antecedere electionem in intuitu Divino, nec à DEO quenquam eligi posse, nisi prius prævisus sit & vocatus ad gratiam & vocationi obtemperaverit.

§. VI. Par-

§. VI. Particula *εἰ* ἢ *ἄρα*, eandem cum particulis *ὅτι* & *ἄρα* significationem habet & cum illis promiscue in Scriptura adhibetur, ut Marc. IX. 29. 1 Pet. I. 5. atque etiam à profanis scriptoribus hoc sensu passim usurpari constat. Licet autem & sanctificatio & conservatio (& hæc quidem, definiente *Dorscheo*, complectitur præsentia Divinae gratiosæ actum illum, quo Christus in habitationem suam in cordibus piis perpetuando, donum perseverantiæ largitur & hostes à fidelibus depellit) licet, inquam, in solidum DEO hic tribuatur & id indicet, quod DEus, quantum quidem in se est, hominem & sanctificet & conservet: non tamen hæc *ἄρα* necessitatem aliquam voluntati imponit, ut nullum amplius apostasiæ periculum sit metuendum. Quanta enim opera hic Apostolus illos, quos & sanctificatos & conservatos appellat, hortatur ad constantiam, ne fidei & salutis jacturam faciant?

§. VII. V. II. *Misericordia* DEI, quæ favore vos prosequitur gratuito, peccata remittens, & ex illa profluens pax seu reconciliatio cum DEO, tranquillitatem conscientia, omnemque vel animæ vel corporis salutem complectens, amor item Divini Numinis, fons quasi pacis & misericordia hujus, quique mutuo tam in DEum quam proximum amore nos accendit, *in vobis multiplicetur*, ita ut sensus illorum magis atque magis in cordibus vestris redundet & alios ex aliis sacros in vobis effectus operetur.

§. IIX. Non aspernanda est illorum, (quos inter & *D. Hornejus*) sedulitas, qui his in verbis sanctissimæ Trinitatis mysterium investigavere; ita quidem, ut misericordiam Patri tribuant, qui *misericordia* Pater audit, 2. Cor. I. 3. Filio qui *pax nostra* dicitur, Ephes. II. 14. pacem competere existiment, charitas autem Spiritui S. per quem *charitas DEI effusa* esse dicitur *in cordibus nostris*, Rom. V. 5. per *ἀγάπην* quandam assignetur. Credendum enim est, DEum omni occasione modoque veram sui notitiam cultumque

diffundere, neque excludenda hæc est, ubi Scriptura ipsa eandem non excludit, sed in aliorum locorum collatione potius includit. Et huc quoque tendere videtur *Salmeron*, hac paraphrasi utens: *Patris misericordia & Pax Christi & caritas Spiritus S. in vobis adimpleatur seu perficiatur.* Addimus nunc

Porisma.

§. IX. Christianum plane piūmque est, quoties ad alios vel accedimus, vel ab iis discedimus, Divinæ iis gratiæ & salutis incrementum comprecari, præcipue si eisdem nobiscum fidei sint consortes. Est hæc species intercessionis pro proximo, fidelibus omnibus imperatæ, 1. Tim. II. 1.

§. X. V. III. *Carissimi*, quos ob communem, quæ vobis mecum intercedit, fidem, & ut membra unius corporis in Christo capite adunata, non fucato prosequor amore, cum urgente sollicitudine, quam nunquam pro vobis depono, *omne studium adhiberem, ad vos*, quo rectius docendi munere fungerer, *scribendi de communi salute*, quæ omni tempore, apud omnes mortales eadem fuit & cuius non vestri magis quam mei interest, jamque ad hoc officium ultro paratus essem: nunc vero, & doctrinæ & morum impietatem passim vagari cernens, *necessè etiam habui*, auctus quoque ad id Divino Spiritu per me loquente, *ad vos scribere*, eo quidem, *ut hortarer vos, ad decertandum* sine intermissione, tam doctrinæ quam morum integritate, *pro fide, quæ omnibus omni tempore sanctis*, per Prophetas & Apostolos *semel*, semper sui similis & perfectissime, ut nihil laborandum de aliis humani ingenii inventis, tam viva voce quam literis, per manus quasi *tradita est.*

§. XI. Qualis sit necessitas, qua compulsus se esse ait Apostolus, has consignandi literas, neminem alium rectius annotasse crediderim, quam incomparabilem *Dorschaum*, cujus hic vestigiis insistere juvabit. Hic itaque variis remotis significationibus, quibus necessitatis vox accipi

accipi solet, hoc loco haud dubie obtinere judicat necessitatem impositi officii, qualis illa, ad quam Paulus provocet, 1. Cor. IX. 16. Cum enim Judas Divinitus moveri se animadverteret, ut ex hæresibus laboranti succurreret ecclesiæ, idoneum dispexisse remedium & illud per literas adhibendum esse illi visum. Atque ita eatenus Apostolico muneri necessitatem hanc scribendi fuisse adstrictam. Ut enim, quoties salutem ecclesiæ intererat, Apostolico muneri viva voce docendi incubuerit necessitas: ita eidem scribendi ab absentes involutam fuisse necessitatem, quoties absentium id desideraverint pericula, aut Spiritus Sancti juberet autoritas. Licet autem pleraque Novi T. monumenta certa quadam occasione scripta fuerint: id factum quidem esse, si respiciamus eventum rei inter homines: DEum vero, qui summus scriptorum canonicorum arbiter, inter ipsas occasiones enascentes, hæc quæ in Novi T. codice comprehenduntur, scribi voluisse, non tantum ut ad illam occasionem usui essent, sed ut pro norma universæ ecclesiæ asservarentur; alias nihil causæ esse, cur hæc potius quam alia Divinitus fuerint asservata. Neque enim generali duntaxat Divinæ providentiæ, nedum fortunæ, hanc pretiosissimarum, quas ex Apostolorum collegio accepimus, reliquiarum custodiam, sine temeritate tribui posse.

§. XII. Fidem, cujus gratia certare nos jubet Apostolus, nostri de fide, ceu vocatur, objectiva, vel doctrina fidei merito exponunt, vel hoc argumento, quod vox *magis debet* non tam fiduciæ cordis, quam doctrinæ, quæ tradita est, conveniat. Secus ac Calviniani, interque eos recentissimè *Tilemannus*, interpretantur, qui ut scenæ serviant, semel traditam fidem non de proposita tantum ab Apostolis, sed etiam cordi auditorum impressa, & ab ipsis cum fiducia & sanctificatione acceptata, id est, de plena cordis illuminatione, seu dono fidei salvificæ intelligunt, amissa

amissa illa nullum amplius resipiscentiæ locum esse contendentes. Sed vel *Beza & Piscatore* iudice altera præstat expositio.

§. XIII. Ceterum illud, quod pro fide suscipiendum est certamen, duplex quasi, circa quod versatur, objectum habet; doctrinam nempe & mores. Præcipue ita certare jubet Apostolus, ut sanæ doctrinæ sua constet integritas, cui ne aliquid detrahatur, vindicanda illa est contra omnis generis hæreticos, frequentiori disquisitioni subjicienda, sacris versanda meditationibus, nullis precibus parcendum, quæque hanc in rem à Venerabili *B. Calovio* plura ad hunc locum afferuntur. Et cum corrupti mores plerumque doctrinam quoque adulterent, ut illa hac quoque parte muniatur, amplius etiam pro morum integritate certandum, frena injiciendo inordinatis legique Divinæ adversis cupiditatibus, studendo precibus & nunquam intermisso pietatis exercitio. Tota epistola id agit sanctissimus scriptor, ut utriusque studium suis cordi sit, doctrinæque pariter & moribus suis constet honos. Utrumque versu vigesimo & vigesimo primo complectitur.

§. XIV. Quare hanc ex versu hoc doctrinam haurimus; homini Christiano, ut in fide & gratia Divina perseveret, contra omne genus hostes, fidem & gratiam Divinam vastantes, sive illi doctrinæ credendæ veritatem, sive sanctitatem morum oppugnent, à primo Christianismi exordio ad extremum usque vitæ finem, ferium, acre & perpetuum certamen esse ineundum, sacram doctrinam mordicus retinendo & mascule defendendo; exempla pœnasque apostatarum & flagitiosorum considerando; morem gerendo Divinis admonitionibus; imitando bonorum exempla; comminationes DEI per Prophetas & Apostolos factas alte menti imprimendo; summam Christianæ fidei sanctitatem semper ob oculos habendo; ardentissimis precibus, cum carnis mortificatione conjunctis, indefinentem operam

operam dando ; Divinae majestatis amori nihil præferendo & tremendum ipsius judicium metuendo ; persecutorum veritatis minas & furores patienter tolerando ; infirmiores ex iisdem leniter informando ; præfractos verbi Divini virga severe castigando. Palmaria est hæc & per totam epistolam diffusa doctrina , quam cum jam supra peculiari tabella prolixius subjecerimus , nihil nunc nisi *Tertulliani* , vetustissimi Patris , quem Dorschæana nobis suggestit industria , meditationes adjiciamus. Ita ille circa medium scripti ad martyres : *Vocati sumus ad militiam DEI vivi , jam tunc cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit , nec de cubiculo ad aciem procedit , sed de papilionibus expeditis & substrictis , ubi omnis imbonitas & insuavitas constitit. Etiam in pace , labore & incommodis bellum pati jam ediscunt , in armis deambulando , campum decurrendo , fossam moliendo , restudinem desiccando. Sudore omnia constant , ne corpora atque animi expavescant. De umbra ad solem , è sole ad cælum , de tunica ad lorica , de silentio ad clamorem , de quiete ad tumultum. Proinde vos benedictæ , quodcumque hoc durum est , ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem subiturae estis , in quo Agonothetes Deus vivus est , xystarches Spiritus S. corona aternitatis , brabium angelicae substantiae politia in cælis , gloria in secula seculorum.* Hactenus ille , commentarium ad *επαγωγισμὸν* Judæ nostri & parallelam Pauli *πνευμαλίαν* scribendo , Eph. VI. 10. sq. Utinam apud animum hæc demitterent Epicureæ & securæ mentes , quæ fidem rem otiosam esse existimant , in mera notitia eaque umbratili & ad horam mutabili consistentem , quæ ideo de certamine hominis Christiani contra sanæ doctrinae depravationes , contraque vitæ luxuriam , nihil norunt , nihil cogitant , nihil audire sustinent. Hominum omnium infelicissimi. Quibus haud absimiles sunt , quid hodie certamina prioris generis contra veritatem doctrinae cœlestis , rixarum contentionum-

D

tionumque scholasticarum titulis diffamant, quæsiqve sine solida & ab omni errore longe remota mysteriorum notitia vera pietas non subsistere tantum possit, sed nisi ab operosa ista veritatis defensione absit, pietatis nomen haud mereatur, persuasi sunt. Horum animis insonet illud Petri, Judæ nostro parallelum: *Pseudo Prophetæ & falsi doctores sunt in populo, qui subintroducunt hæreses exitiales, eorum præsentissimum sibi attrahunt exitium. Multi horum perditissimas vias, sequuntur, per quos via veritatis blasphematur. Contra hos pugnate, & sanctissimæ fidei vestra vos inadificate.* II. i. Jud. v. 20.

§. XV. Verf. IV. Nam ne mala vestra intestina vos fallant, in ipsa Ecclesiæ viscera, non sine fraude irrepserunt homines quidam; quibus tamen non est quod commoveamini; jam pridem enim illi & à Prophetis & deinceps ab Apostolis descripti, oculis quasi vestris, quales futuri essent, subjecti & depicti fuere, ad hoc judicium & pœnas, quæ olim illos manent. Qui licet pietatis præ se ferant speciem, *impii* tamen sunt; gratiam DEI, per quam à maledictione legis vindicati sumus, ad lasciviam transferentes, quasi vero Christiana libertas licentiæ frena laxaret; atque unicum verum, DEUM & Dominum nostrum Jesum Christum, & verbis atque opere Divinitati ejus detrahendo, malitiosè negantes.

§. XVI. Verba illa, quibus ad judicium descripti esse dicuntur impii, *Oecumenius* ex S. Patribus, quorum catenam texuit, ex perpetuo vocis usu, Rom. XV. 4. Gal. III. 1. Eph. III. 3. de antegressis Paulinis & Petrinis admonitionibus interpretatur. Suffragatur illi cum plerisque Theologis *Dorschaus* noster, vel nubem argumentorum, quæ id evincant, adducens. Et cum ex Calvinianis quidam absolutum reprobationis decretum hinc elicere sustineant, ostendit vir laudatus, quam à Patrum expositione aliena sit hæc sententia, quamque toti repugnet epistolæ. Neque

que enim absoluto quodam, decretum antecedente, iudicio, ad damnationem descriptos esse impios asserere Apostolum, sed ideo, quia sint impii & gratiam DEI transferant ad luxuriam. Et quænam isthæc esset Apostolica exhortatio: cavendi vobis sunt falsi doctores, illi enim ab æterno destinati sunt ex absoluta DEI voluntate, citra antecedentem impietatis ipsorum intuitum, ad exitium?

§. XVII. Mordicus defendit absurdam hanc sententiam *Tilemannus Schenckius*, quæquam renitente magno è Reformatis Scripturæ interprete, *Job. Cocceio*. Cumque *Calovius* noster Piscatori verum interpretanti: *prescripti & destinati ad hanc impietatem, quam in sequentibus describit Judas*, merito imputasset, per hoc DEum reddi causam peccati & impietatis, vehementer de injuria illata conque-ritur, præcatus à DEO, ut hoc probrum respiciat. Cum tamen & infans non possit non animadvertere vim hujus consequentiæ: quicumque immutabili proposito destinat hominem ad impietatem, antequam præviderit impie eundem acturum esse, is hujus impietatis causa est. Atqui DEus secundum Piscatorem, & ipsummet *Tilemannum*, juxta quem si destinatio & decreta DEI aliquid decreta ipsa antecedens respicerent, DEum dependentem & imprudentem facerent. Ergo.

§. XVIII. Solus ille Dominus DEusque, cujus hic mentio fit, nemo alius est quam Salvator noster, ad quem hæc omnia epitheta referenda esse, primo omnium indicat articuli unitas. Ita enim Apostolus: *καὶ τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνέμενοι*. Jam vero unus articulus ordinarie (id enim nec Enjedinus diffitetur) ordinarie, inquam, unam notat personam, urgentibus præcipuè reliquis totius contextus circumstantiis, de quo & regula & cautela addita *Glassii* est: articulum emphaticè primæ voci additum, reliqua omnia epitheta adjecta includere, & de eodem subjecto sermonem esse ostendere,

nisi textus circumstantiæ forte repugnent. Et ut aliqui codices Græci geminum habeant articulum, (id enim excipiunt Sociniani) tamen quicquid diversarum est lectionum, hanc nostram interpretationem confirmat. Ita enim illæ: καὶ τὸν μόνον θεὸν καὶ δεσπότην, τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. Animus enim à præjudiciis vacuus facile animadvertit, posteriorem articulum esse demonstrativum, per quem explicetur, quis sit ille μόνος θεός, nempe ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστός. Præterea hoc quoque prohibet, quo minus priora illa verba de Patre accipi queant, quod tunc temporis non leguntur fuisse hæretici, qui summum DEum negaverint; illorum autem, qui Christum non agnoscerent unicum illum herum, Dominum DEumque nostrum, numerosissima fuit turba. Accedit parallelus ille locus. Quod enim Petrus ep. II. cap. II. v. 1. de falsis doctoribus affirmat, quod sint: τὸν ἀποστάσαντα αὐτὸς δεσπότην ἀρνήσαντος, (haud dubie hæc de redemptore nostro accipienda) id Judas illis verbis, quæ audivimus, profert. Negatio, cujus hic mentio fit, talis est intelligenda, quæ fit κατὰ π, seu talis, quæ quis abnegat Christum, in quantum DEus est & δεσπότης noster, quod omnes prope modum ætatis ejus fecisse hæreticos constat. Sententiæ huic, quæ laudata elogia Salvatori nostro tribuit, varii accedunt Patres. Præ aliis notanda sunt verba Didymi Alexandrini, in enarratione in epistolas canon. Tom. IX. Bibl. P. ad hunc locum ita scribentis: *Animadvertendum est, solum dominatorem esse Christum, eo quod solus sit verus DEus. Sic dum solus sit dominator & dominus JESUS, non expellit auctoritate Patrem, dicens ei, domine cæli & terra. Sic negat Pater, cum solus sit verus DEUS, extraneum facit à vera Deitate Filium.*

§. XIX. Ingeniosissimæ pietatis plena conjectura est Dorschei, tribus istis vocibus, δεσπότης, θεός, κύριος, tria illa veneranda DEI nomina, אלהים / ארני / יהוה innuisse Apostolum. Nam in V. T. LXX. Interpretes, vocem quidem

dem ארני per *δισσότης* omnium frequentissime exprimere, Vocabulo Θεός respondere אלהי. Vox autem κύριος licet apud LXX. sæpe exprimat nomen ארני / aut אל / aut אלהי / aut alia DEI nomina ; tamen nulli DEI nomini exprimendo frequentius adhiberi , quam nomini יהוה. Unde post alia DEI nomina adhibitum esse , vero esse simillimum : tum , quia cum in septuagintavirali translatione cum aliis DEI nominibus eadem serie occurrat , non alii quam huic nomini respondeat : tum quia semel tantum vox יהוה non per κύριος fit reddita : tum etiam , quia ad alia DEI nomina intento digito , Judam hoc omisurum fuisse & ad aliud potius quam hoc respecturum , non fit probabile.

§. XX. Sit itaque

Porisma.

Jesum Christum salvatorem nostrum , verum esse & natura DEum, Dominum Regemque nostrum.

§. XXI. Verf. V. Ceterum ne de suppliciis, quæ falsos doctores , qui ab agnita veritate desciverunt , manere dixi , quicquam dubitetis & ut fidei & morum sinceritas hoc magis vobis cordi fit ; ecce vobis exempla aliquot vindictæ Divinæ. *Admonere itaq, vos volo , non inauditi alicujus aut novi , sed quod neminem vestrum fallit : pro se quisque enim hoc scitis , quod Dominus , semel servato populo & ex Aegypto liberato , non impunitatem quidvis patrandi dederit : sed potius , cum non crederent , perdiderit rursus , dum nempe omnes in deserto ab anno vicefimo , paucis exceptis , morti objecit , i. Cor. X. 5.*

§. XXII. Vocem : ἀπαξ, semel, per trajectionem poni, nihil impedit ; imo τὸ δεινότερον cogit. Si enim hæc duo relationem inter se habent , ut haud dubium sibi esse ait *Tilemannus*, quam aliam habebunt , nisi ἤ semel salvati & iterum deperditi ? Ludere videtur *Tilemannus*, cum *Cornelio à Lapide* adscribit , ac si *semel educi ex Aegypto & iterum*

*perditi*, sibi opponeret, cum oculis suis viderit, non educationem ex Aegypto ut sic, sed salutem & perditionem sibi opponi, quæ & ipse, velit nolit, sibi opponit, quoniam suam sententiam ita exprimat obscure, ut vix queat intelligi.

§. XXIII. Subjungimus doctrinam, ex hoc & sequentibus versibus tenendam: Pœnam à DEO flagitiis omnibus semper illatam, & de atrocitate scelerum & de fuga eorundem commonere nos merito & semper debere.

§. XXIV. Vers. VI. *Imo*, ut illustrius vindictæ Divinæ proferam exemplum, *Angelos, qui non servarunt originem suam, & in justitia originali, in qua conditi erant, non confiteri, sed sua culpa reliquerunt domicilium suum, statum illum omni felicitate affluentem: hos degeneres ad tremendum condemnationis judicium magni illius dici pantocritici, in vinculis servitutis & supplicii æternis, sub tenebris servavit, olim gravius atrociusque torquendos.*

§. XXV. Variæ de voce ἀρχὴ significationes afferuntur. Communiorem secuti sumus. Nec obstat quod neget *Telemannus*, hanc phrasin: μὴ ἴσθαι ἀρχὴν, de defectione à sanctitate & statu felici usurpari, aut ullibi ἀρχὴν significare id, quod datum vel acceptum ab initio. Quomodo enim ad alias usurpationes provocari potest, cum alibi hæc phrasin nunquam amplius occurrat? Et quid opus ad phrasin recurrere, cum singularum vocum manifestam habeamus significationem? Est enim servare idem quod retinere; & origo seu principium non id tantum est, unde quælibet res ortum habet, sed & illud, in quo ab initio constituta est. Ita cum dicitur, ad originem rei redire, idem est, ac rem in sua origine considerare. Sic origo cœlestis, origo Divina, regia origo, non tantum ortum, sed & ortus qualitatem designat. Quæ quoniam apud Judam non exprimitur, subintelligitur tamen. Est enim ἀρχὴ ἐσωτερικῶν, origo Angelis propria, Divina scilicet & Divinarum plena virtutum.

§. XXVI. In-

§. XXVI. Ingeniosam tamen & non injucundam, quantumlibet novam, nec facile antea auditam expositionem dixeris *Tilemanni*, qui τὴν ἀρχὴν de Filio DEI, tanquam Angelorum capite & principe, explicat, quem principem apostasia sua deseruerint; hoc enim aliquoties, ait, illi à Scriptura tribui, Col. I. 15. II. 10. (cui addimus longe clariorem Ap. III. 14. collatum cum cap. I. 5.) deinde scopum quoque epistolæ id flagitare; agere enim Apostolum contra abnegantes herum Christum, quales illi, quorum jam versu 4. & 5. facta mentio. Præterea particulam ἐαυτῶν tale principium indicare, cujus Angeli fuere & sub quo instituti. Ad hæc Christum Angelorum ἀρχὴν dici, Col. I. 16. & ἀρχαγγέλων, I. Thess. IV. 16. Denique verosimile id esse hinc apparere: scilicet Patrem Filio omnia subjecisse, huic autem, ceu capiti, paruisse exercitus Angelicos; deseruisse itaque illum dominum, cui specialiter subjecti erant.

§. XXVII. Vers. VII. Nec alia defunt justitiæ Divinæ exempla. *Sicut enim Sodoma & Gomorrha, & quæ circa illas erant civitates, Adama & Zeboim, quæ simili modo ac illi, Sodomæ nempe & Gomorrhæ incolæ, perscortata sunt, (id est, ipso vocis inusitata usu, detestandæ Veneri, ut equi in feminas emissarii, ad enervationem usque velut immortui) alienam carnem sectantes, & in omnem Venerem, etiam eam, quæ contra naturam est, effusæ, præposita sunt exemplum, quod scilicet atrociora delicta atroces imo æternæ excipiant pœnæ, dum igne cœlitus delapso radicitus devastatæ, nunc æterni & nunquam cessaturi ignis pœnam sustinent.*

§. XXVIII. Ut ab ingenio & jucunditate paulo ante *Tilemanni* laudabatur inventum, ita nunc non minus admiranda est *D. Sal. Glassii*, Philologi & S. Bibliorum incomparabilis sua ætate scrutatoris, ἀρχινοία, quam vel in hoc versu interpretando testatus est. Hic itaque verbum ἐναρτέω, de scortatione spirituali intelligit, sequentia verba:  
ἀβου-

*abeuntes post carnem alteram*, carnalem scortationem existimans innuere; spirituales vero scortationem intelligi tum respectu Sodomitarum, tum respectu eorum, ad quos scribit Judas. Probari id, quia civitates scortantes dicantur: *Ἰουδαίων Ἰσραήλ Ἰσραήλ*, eodem modo quo illi scortatae. Quinam vero *illi*? Non civitates, quod est generis feminini, sed longius praecedentes, Israëlitæ v. 5. & deficientes à DEO Angeli v. 6. Hos autem spiritualiter fuisse scortatos, hoc est, à DEO defecisse. Præterea ἵ ἐκ DEum respicere, à quo scortando defecere, quasi dicatur: *scortatae sunt à DEO*, ceu hæc phrasis legatur Pf. LXXIII. 27. & denotet, *scortari deficiendo à DEO*; videatur ipse celeberr. autor Gramat. S. p. 574. Ingeniosissima sanè hæc tanti auctoris conjectura est; sed tamen involutio sensus in particula ἐκ in compositione duriuscula est, nec facile probari poterit; nemo certe, verba hæc legendo, sensum hunc facile conceperit. Is autem sensus est simplicior, qui primo omnium, cum verba leguntur, menti se ingerit. Ad hæc, cum in ceteris verbis, ubi libidinis fit mentio, ut 8, 18, 23. proprie intelligatur, cur non & hic? Utiqve cum apud Sodomitas hoc pervagatum fuerit vitium, imo jam in antecedentibus v. 4. voce ἀσελγείας eadem impuritas fuerit denotata, quam ob delicti frequentiam frequenter castigari non videtur absolum.

§. XXIX. Vers. II X. Licet autem Sodomitarum & flagitia, & quæ deinceps insecutæ sunt pœnæ gravissimæ, omnium oculis ut obversarentur æquum esset: *similiter tamen & isti*, de quibus hæcenus dixi, *somniantes*, quiqve securitatis sopore ita sepulti sunt, ut, licet in varios errores & flagitia libere licenterqve prolabantur & pollutiones illæ, quibus fœdantur, cunctis abominationi sint: tamen veteris ille spiritualis adeo illorum occupavit animos, ut neqve quid agant, nec quid sibi attrahant supplicii, væcordes animadvertant. Itaque *carnem quidem* detestabili libidinis impuritate *polluunt*,

*polluunt*, adeoque membra sua, quæ membra Christi esse deberent, arma injustitiæ ac impuritatis constituunt; *dominationem vero*, Christum scilicet unicum herum & dominum, ejusque in ecclesiam regnum *aspernantur*; *dignitates vero*, à Christo in ecclesia constitutas, id est, sacri gregis ministros, qui nunquam cessant ad frugem illos revocare, *maledictis incessunt*, & dignitatem illam, quam sacrosanctam & illibatam Christus esse voluit, convitiis infectantur.

§. XXX. Quidnam per *ἐνυπνιάζουμένους*, quid per *κυσίματα*, quid per *δόξας* intelligat Judas, infinita reperire est sententiarum divortia, quæ si cui cognoscere volupe est, *Chr. Sam. Martini* adeat necesse est. Itaque in tanta interpretum & differentia & libertate, si singulare aliquid nec hætenus auditum attulerit aliquis, nemo credo illi vitio verteret. Fundamentum autem, ex quo de genuino versus hujus sensu omnium optime judicari possit, hoc esse videtur. Nempe princeps versiculi vox: *ἔτις*, ad præcedentia *Gomorrhæorum & Sodomitarum* (& in hac re omnes fere consentiunt) exempla nos revocat, simileque quid in illius temporis hæreticis & pseudo-Christianis reperiri clarissime innuit. Ut autem in aliis ejus generis comparationibus fieri solet, ut comparandi momenta latissimè, quatenus id Scriptura permittit, jure extendantur: ita & hic collationis membra præter necessitatem (quod tamen faciendum esse, apud *Marloratum* temere contendit *Calvinus*) non sunt coarctanda, sed proferenda; imprimis cum non tantum id non prohibeat Scriptura, sed concedat potius, imo jubeat. Ut itaque cives Sodomitæ cæcitate percussæ sunt, ut quasi somno sopiti palpitarent; deludebantur ipsorum animi per ridicula phasmata, somniantium instar & noctambulorum, qui dum per tenebras errabundi gradiuntur, neque vident, neque quid agant advertunt; interim tamen, sopitis quasi sensibus errare non desinunt: ita & Sodom-

E

domi-

domitæ, ἀληθέιντες τῇ ἀσρασία, Sap. XIX. 16. in somno & cœcitate animi errabant, neqve tamen errare & peccatis indulgere, nescientes quid facerent, intermittebant. οὕτως, eundem in modum, pseudo Christiani tempore Judæ ἐνυπιαζόμενοι, securitatis sopore sepulti, in errores & flagitia libere licenterqve prolabebantur. Erant pollutiones istæ, quibus carnem suam commaculabant, contra omnem naturam, omnium oculis obviæ, cunctis honestis mentibus abominandæ: sed veteris ille spiritualis ita totum illorum occupaverat animum, intercluseratqve ejus facultates, ut neqve quid agerent, nec quid sibi attraherent supplicii, væcordes animadverterent. Quod sane in hæreticos eorumqve affectas tam crassos & ipsi naturæ bellum indicentes, optime quadrat. Jam porro Sodomitæ in omne genus scortationis effusi, μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν ῥησιν εἰς τὴν παραφύσιν, Rom. I. 26. οὕτως, eodem modo, & Simoniani & Nicolaitæ & Cerinthiani, aliiqve detestabili libidinis impuritate infames. Deniqve Sodomitæ nihil morabantur Angelos, DEI Servatoris sui legatos, & ipsummet Loth, DEI ministrum, qui nunquam desinebat ad frugem eos revocare & Divinorum judiciorum atrocitatem ante oculos ponere; quin potius, hoc ipsum cum iis inculcasset, dominationem in se sumtam interpretabantur, angelorum comminationes spernebant, Lothum ipsum tanquam peregrinum & in aliena hospitia involantem convitiis incessabant, & *justum* hunc justitiæ præconem *iniquis operibus cruciabant*, II. Pet. II. 8. οὕτως, eodem modo & pseudodidascali illi, quos Judas persequitur, dominium & regnum Servatoris nostri, quod per Angelos suos, id est, ecclesiæ ministros, administrat, aspernantur & dignitatem, quam in hoc ministerium contulit, convitiis proscindunt. Ita omnia ex textu, cum historia Mosaica collato, sponte fluunt, neqve quicquam est, quod ullam habeat difficultatem.

§. XXXI. Superest ut removeatur objecta à quibus-

busdam difficultas, quod *κυριότης* & *δόξα* non videantur vel Christo, vel ejus regno, vel ecclesiæ ministerio competere, sed soli magistratui politico, quem hoc loco respici, argumentis aliquot in compendium contractis comprobare annisus est diligentissimus *Martini* h. l. §. 14. Quæ vero facile cessabit, si quis cogitet (1.) à *D. Calovio* iis argumentis probatum esse, non posse à *Juda* hoc loco nisi Christi majestatem & regnum intelligi, quibus responsum non est in amplissimo quantumlibet viri doctissimi commentario, qui si firmam suam voluisset sententiam, lectorem, tantorum argumentorum robore occupatum, dubium non relinquere, sed Calovianas rationes solvere debuisset. Repetiit vim illorum argumentorum *Tilemannus*, non sine *εμφάσι*, & ultima verba: *δόξας ἢ βλασφημῆσαι*, de ministerio ecclesiæ tam erudite exponit, ut vix possit, qui legerit, refragari. (2.) *κυριότης*, generale vocabulum est, quodlibet imperium denotans, quod si Christo non alibi tribuatur, quid impedit hoc loco tribui, cum rem ipsam ei competere, qui est *κύριος πάντων* & infinities hoc nomine describitur, haud dubium sit? (3.) Cur de hac *ἀσεβείας* specie, quæ est contemptus regni Christi, in una quamvis brevi epistola aliquoties agi non posset, cum de nefanda libidine agatur multoties? (4.) Quid vero illud est, veteres hæresiarchas non potuisse palam aspernari *κυριότητα* sine offensione ceterorum Christianorum? Quid itaque est, unum herum & dominum nostrum Jesum Christum negare v. 4. quam majestatem ejus & dominium in ecclesiam contemnere & pedibus conculcare? Contra vero de contemptu magistratus civilis in antiquis hæresiarchis nihil usquam documenti aut testimonii comparet. (5.) Seducorum flagitia *Judas* cum peccatis non Israëlitarum sed Sodomitarum, qui immediate præcesserant, comparat, de quorum contemptu magistratus politici nihil usquam cognitum est. Remotis itaque impedimentis, veritas sententiæ nostræ,

contextus evidentiae inaedificata, videtur plane esse inconcussa.

§. XXXII. Vers. IX. Videte vero temeritatem hominum, qui summum illum dominatorem & constitutos ab illo ministros convitiis proscindere & inconsideratum de iis iudicium ferre non verentur. *At vero*, ne ipsi quidem Angeli vel in Satanam illud ausi sunt. Nam *Michaël*, ille *Archangelus & Princeps Angelorum*, cum altercatus cum *Diabolo*, disceptaret de corpore *Mosis*, (forte ne illo ad Idololatriam Israëlitis persuadendam abuteretur Satan) non sustinuit tamen in tam execrandum DEI hostem, et si manifesta ejus esset malitia, iudicium perferre blasphemiae (seu *βλάσφημιον*, 2. Pet. II. II.) & convitiis in illum invehit: sed, omni acerbitate abstinens & soli DEO rem hanc committens, dixit: *Increpet te Dominus*.

§. XXXIII. Brevibus in illam sententiam, quæ Michaelem Archangelum creatum facit, discedimus; partim quia nomen ejus proprium exprimitur & simul additur officii nomen, (nec enim, cum dico: Archidux Matthias, unquam recte intellexeris Leopoldum Imperatorem) partim quia *יְהוָה כִּימֹתָי* quis sicut DEUS? non significat similem DEO, adeoque Filium DEI, sed neminem esse DEO similem: quæstio enim fortiter negat, nec citra quærendi significationem *יְהוָה* facile occurrit. Ad eum modum, cum dicitur *יהוה שמה* Dominus ibi, non ipse Dominus notatur, sed altare, cui Dominus præsens est; partim quia sententia, quæ ex Archangelo facit Filium DEI, multis iisque insuperabilibus premitur difficultatibus.

§. XXXIV. Exposuit has *Tilemannus*, quanquam & ipse sententiæ de Michaele Filio DEI addictus, quarum præcipua est, quod de eo dici nequeat, quod non fuerit ausus Satanæ maledicere. *Quid?* ait, *Michaël, Filius DEI, verus DEUS ac Dominus noster, inimicus ac conculcator Satanae, quidni ausus fuisset Satana maledicere?* *Qui jam maledixerat*

rat

rat diabolo, serpentis habitu personato, & semini ejus, Gen. III. 14. Cumulat deinde argumenta, quibus idem amplius probatur, imprimis quod ipsæ Christianæ aures à formula: *non audere*, de DEO usurpata, (quicquid sit de aliis mitioribus, quibus hæc vulgo exponitur) non immerito abhorreant, quæ forte non adeo consideravere contrariæ sententiæ patroni. Ceterum nunc percipe, lector, quam mire se huc illuc torqueat vir eruditus, ut hoc pronuntiatum cum antecedentibus conciliet. Filium DEI, ait, quasi in judicio disceptasse cum Diabolo, diabolum τὸ κέϊμα βλασφημίας non ausum fuisse; tum Filium DEI increpasse Satanam. Materiam litis, corpus nempe Mosis, de impletione legis Mosaicæ intelligit, quam contra reduces ex captivitate, tanquam peccatores & ideo maledictioni legis obnoxios, urserit Satan, ex Zach. III. 1. cui restiterit Filius DEI, misericordiam Div. allegando, Satanamque vincendo. Locum nempe Zacharianum, in quo de corpore Mosis nihil, nihil de Archangelo, nihil de Michæele, nihil de κέϊμα βλασφημίας, unice & literaliter à Juda respici arbitratum. Tum vero pergit, non Filius DEI, sed Satan: *non ausus est judicium inferre blasphemia*, & tamen statim de Filio DEI: *sed dixit*, (nempe Filius DEI) *increpet te Dominus*. In has inextricabiles fyrtes virum conjecit præconcepta de Michæele increato opinio. Numerentur vero hic vocum improprietas & textus, naturali verborum constructioni adversantes, disruptiones. Michæel pro DEO; Archangelus pro Archangeli creatore; corpus Mosis, pro lege Divina peccata arguente; Michæel non est ausus; pro Satananas non est ausus; sed dixit, idem nempe qui antecesserat, Satananas, pro: dixit Filius DEI. Quis unquam has ambages è textu, naturali ordine fluente, sine coactis artificiis exculpserit? Contra vero has plicas tricasque feliciter declinat communior sententia, in paraphrasi expressa.

s. XXXV. Porisma: Angelorum bonorum officio

E 3

cio

cio & hoc involvitur, malis Angelis, homines seducturis, resistere, & dum resistunt, uti moderatione, creaturâ, DE-um tanquam superiorem semper respiciente, digna.

§. XXXVI. Verf. X. *Isti vero illa, quæ quidem scire poterant & debebant, ut majestatem Christi & regnum ejus gratiosum, in ecclesia per ministros suos administratum, ignorant tamen, ignorantia scilicet affectata, malitiosè ab istis ἐνοπιαζόμενοι contracta, hæc, inquam, convitiis impetunt. Illa vero quæ naturaliter, quemadmodum & bruta animalia, norunt, quæque illa notitia, quam cum brutis communem habent, iis dicitur, & circa cibum, potum, coitumque versatur, quibus vel animalia ea moderatione utuntur, quam natura iis præscribit, in iis corrumpuntur, adeoque brutis deteriores evadunt.*

§. XXXVII. Verba illa: *Quæcumque naturaliter tanquam bruta animalia norunt, non contradistinguunt notitiam hominis animalis & spiritualis, ut quibusdam videtur. Notitia enim hominis animalis rationem includit; quæ vero hic per restrictionem illam, tanquam animalia irrationalia, manifeste excluditur. Itaque notitia hic est, quæ homini cum bestiis est communis & circa res Venereas, circa cibum & potum, aliaque hujus generis, versatur. In quæ bestiarum notitia, quæ ἁλοῦσθαι quidem est & bruto sensu, ea tamen moderatione fertur, ut cupiditas satietati acquiescat, nec corpori aut sanitati facile attrahant detrimentum. At isti pseudo Christiani, ejusmodi brutis deteriores, in ipsis concupiscentiis suis corrumpuntur. Commendat se hoc loco *Andrea Wissowatii*, quanquam Sociniani hominis, expositio, ita dicentis: *corrupti evadunt animo per hunc abusum, & moribus profligatis, adeo ut etiam corpus suum & sanitatem corrumpant, & vitam hanc temporariam sibi ipsis per intemperantiam & luxuriam, voracitatem, ebrietatem, libidinem abbrevient, ac denique propter ista ad exitium æternum à DEO damnentur: ut bestia, quæ per suum appetitum**

*petitum imprudentem in retia ac laqueos incidunt & perduntur. Vid. 2. Pet. II. 12. Hæc ille.*

§. XXXVIII. Verf. XI. *Vae illis!* vindicta Divina & æterna condemnatio illis imminet, quod non quidem iis imprecor, sed DEI nomine iis denuntio. *Quandoquidem viam Caini ingressi sunt*, qui ut fratrem, se justiore, qui- que DEO ob pietatem magis cordi erat, ex livore trucidabat: ita hi quoque illos odio habent, qui meliores ac justiores sunt. *Et deceptione mercedis Balaami effusi sunt*; quemadmodum enim hic falsus Propheta, infami lucro quasi fascinatus iis maledicere cogitabat, quibus DEus benedixerat: ita & hi lucrum captantes, similia designare flagitia non verentur: *Et demum in factione Core perierunt*; perierunt, inquam, adeo enim certus sum illorum supplicii, ac si jam periissent. Nam quemadmodum Core, Datan & Abiram, illos, qui à DEO constituti erant, aspernantes, & illos è dignitate sua detrudere volentes, tandem in illa factione sua miserabili fato perierunt: ita & de his certum est, dum in ecclesia temere turbas excitant & DEI ministris obstreperunt, simile illis imminere exitium. Quique Cainum, Bileamum & factiosam Coræ turbam vitiis referunt, similem quoque his exitum sortientur.

§. XXXIX. Vocula: *ἐάν*, quæ non tam comminatur, quam DEI nomine pœnam denuntiat, pœnæque expressio in ultimo exemplo: *ἀπόλωντο*, *perierunt*, persvadent, non vitiorum tantum in hoc versu inter Cainum, Bileamum & Core, sed pœnæ etiam communionem cum falsis doctoribus in omnibus exemplis describi. Quo pacto viam Caini inire, non solum scelera ejus imitari, sed etiam à pomæriis ecclesiæ & à facie DEI vagabundum esse denotat: errore mercedis Balaami effundi, non in avaritiam tantum effusissime pronum esse, sed ejusdem etiam pœnæ participem fieri.

§. XL. Verf. XII. *Hi sunt in agapis vestris & conventibus*

tibus illis, qui amoris & pauperum causa instituti sunt, *macula* & *dedecora*, quamobrem tam sanctum institutum *Jois* *ἐξω* ludibrio exponitur; *una commessabundi*, impudenter *se ipsos pascentes*, & de alieno secure in diem viventes. Cetera tamen licet probitatem simulare velint, *nubes* tamen sunt *pluvia carentes*, huc atque illuc *à ventis circumacta*, quæ agricolarum spem frustrantur; præterea *marcescentes arbores*, nullam fructuum spem facientes; *steriles, emortua*, jamque *eradicate*, nulla amplius spe revirescendi, deficit enim succus. Nam dum nullum amplius est verbo DEI, quod spernunt, succum trahere possunt, quæ spes superet?

§. XLI. *Ligfooti* opinio, qui ex agapis xenodochea ecclesiæ facit, quibus peregrini hospitio exciperentur, nullo plane nititur antiquitatis fundamento & sola se singularitate commendat.

§. XLII. *Δένδεγ δις δροθαόντε*. Qui numero binario expiscando inhærent, infinitis modis exponunt, quos apud *Martinum* reperire est; nec ullo modo convenire possunt, sive in eo, quomodo arbores autumno bis moriantur; sive quam duplicem, mors illa arborum duplex, in pseudo Christianis mortem designet. Ex qua difficultate feliciter se expediunt, qui non tam quantitatis quam qualitatis rationem ea loquendi forma hic innui dicunt, ac si dicatur, plusquam mortuæ nec unquam revicturæ. Vanum est, quod objicitur: *eloquenter hoc magis quam solide dici*. Unde enim hoc probabitur? An eloquenter magis quam solide dictum est: *bis terq, quaterq, beatus*, si non de numero intelligatur sed de excellentia?

§. XLIII. *Verf. XIII*. Sunt præterea *unda maris effervata*, instar effrenis pelagi tumultuantes, nunquam quieti, sed dum ita omnia turbant, nihil agunt, quam ut sua deformitas omnium oculis exponatur, *sua enim dedecora despumant*. Sunt etiam *stella erratica*, atque ignes fatui, qui in locis paludosis conspiciuntur & in devia & præcipitia deducunt

ducunt homines, quibus una cum illis, qui tam tenebricos doctores sequuntur, caligo tenebrarum, quoniam in tenebras precipitavere homines, in aeternum servata est.

§. XLIV. Porisma: Falsorum doctorum & illorum Christianorum, qui pietatis speciem praefereunt, sed efficaciam ejus operibus denegant, *vermea* sunt; ordines a DEO constitutos convitiis laceffere; affectibus & omnis generis cupiditatibus plus quam beluino more indulgere; sinceræ & non fucatae pietatis studiosos & clam & palam odisse; turpis lucri esse cupidos; turbas & factiones excitare; aliorum bonis impudenter abuti; ecclesiae, cujus nomen profitentur, dedecori esse; pietatis speciem praeseferre, nihil vero pietatis possidere, imo adeo bonorum operum steriles esse; ut nullus illorum fructus ex iis ne quidem sperandus sit.

§. XLV. Vers. XIV. Ceterum hanc miserabilem facinororum, quae patravere, catastrophem fore, universa clamat Scriptura, imo ab ultima origine testimonium aliquod accersam. *Prædixit autem* jam tum, venerandus ille ex patribus *Henochus*, & ob divinam vitam & gloriosam in caelum translationem insignis, *septimus* autem ab *Adamo*, cujus vaticinium ut ad omnes hujus generis attinet, ita & prædicat *his*, de quibus hactenus dictum est, horum enim vel præcipue causa agitur. Ita autem vir ille sanctissimus vaticinatus est, *dicens: ecce, ô impii!* ne flagitia vestra impunita fore existimetis, jam *venit Dominus*, quod adeo certum est, ac si jam ante praesentis ora judicis constituti essetis, venit autem magna comitante caterva, *cum multis millibus, sanctis suis Angelis & hominibus.*

§. XLVI. Vox *hæc* plane hic emphatica est, notatque Enochi prophetiam ita generalem esse, ut ad omnes homines pertineat, adeoque ad hos sui temporis hæreticos recte possit applicari. Nec *ἐμπόριον* caret vox *ἰσθμῶς*, tertio casu posita, & cum *ἰσθμῶς* constructa; quam quidem plurimi po-

F

sitam

fitam putant pro *αἰ ἰσταν*, quo vero pacto nervus dictorum plane inciditur, cum tamen Judas id velit, non de his tantum quid futurum sit, vaticinatum esse Henochum, sed & *his ipsis* exitium prophetando denuntiasse. Quid enim opus est ad figuras confugere, ubi litera locum habet?

§. XLVII. De libro Henochi spurio & deliriorum ferace, non est, ut post tot Scriptores quicquam dicamus. Nec ulla ratio est, cur à communi Theologorum sententia in eo recedamus: à Juda neque prophetiam aliquam scripto consignatam, neque traditionem ad sua tempora propagatam, nec realem denique Prophetiam, quæque ex ipsa Henochi in cœlum translatione hausta sit, intelligi, quippe Scriptorem sacrum ex revelatione immediata habere potuisse, quicquid de Enocho prophetante attulit. Postremo adjecta adventui Christi verba: *cum multis millibus sanctis*, non patiuntur eundem nisi de adventu ultimo ad iudicium exponi, ut omni exceptione major interpret est Christus ipse, Matth. XXV. 31.

§. XLVIII. Vers. XV. *Ad iudicium habendum de omnibus*, piis & impiis, ut pro se quisque dignum factis sortiantur exitum, & *ad redarguendum* condemnandumque *omnes ex iis impios, de omnibus impiis suis operibus, quibus inique egerunt*; imo nec dicta inulta erunt, redarguet enim *etiam illos de duris omnibus & blasphemis, quæ de illo, ante cujus tribunal consistunt, aliisque temere locuti sunt impii isti peccatores.*

§. XLIX. Porisma. Erit aliquando cum fine huius mundi extremum iudicium, in quo omnium hominum à Filio DEI causa cognoscetur.

§. L. Hanc doctrinam ecclesiæ doctores, quotquot à prima Novi T. origine docuerunt, ex revelata hac Enochi prophetia, ad hæc usque tempora, nec uno forte excepto, constanter tenuere. Subintroierunt vero novissima hac ætate in ecclesiam Theologi, qui dum veterem, de glori-

glorioso quodam Christi regno, mille ante consummationem mundi annis, in hac terra agendo, errorem magnofu resuscitare aggressi sunt, sententiæ suæ defendendæ, quicquid uspiam in sacris vel colorem vel speciem ejus præferre videbatur, ingenti numero corrogarunt. Quos inter & scriptorum multitudine, & conatus severitate, reliquos omnes præcedit *D. Joh. Wilb. Petersenius*. Is post plurima, quæ in hanc rem edidit alia, *Nubem*, recentissime vulgavit, vere, ut cum Juda nostro loquar, *ἄνυδρον, testium veritatis de regno Christi glorioso*, in qua non unus tantum alterque (ceu ii, quibus Chiliaismus antehac placuit, egerunt) sed locorum infinita quædam abundantia & monstrosa quasi farrago, novo dogmati muniendo operose adducuntur, subjiciturque suffragium non veterum tantum & mediæ ævi scriptorum, sed quicquid recentissime hominum *ἐνυμιαζομένων* & fanaticorum usquam extitit, aut etiamnum extitit, non sine indignatione piorum in subsidium vocatur.

§. LI. Non potest non reverenti sacrarum literarum lectori suspectum esse, cum viderit, Chiliaismum in omnibus fere Scripturarum paginis reperiri, neque ab eo vel ipsam orationem dominicam immunem esse; adeo ut non amplius more veterum Chiliaistarum sollicitè testimonia sint conquirenda, sed ultro tanta sese offerant copiâ, ut metuendum sit, ne eorum mole tandem obruamur. Nam ut, qui viride vitrum oculis obvertit, illi quicquid uspiam visui objicitur, viride apparet: ita Chiliaismi somnio delusis, quæcunque in Scriptura dicta, vel regni tantum, vel resurrectionis, vel deletionis impiorum, vel gloriæ, vel felicitatis, vel gaudii mentionem faciunt, illico & citra controversiam de Chiliaismo agere, eundemque stabilire cernuntur. Nullibi vero in sacris literis amplius, vel regnum gratiæ, vel potentiæ, vel gloriæ regnum comparet; quicquid omnium seculorum consensu de his intellectum, id nova metamorphosi in regnum Millenarium transformatur.

Ut numero testium veritatis vincant Chiliastæ, si non pondere.

§. LII. Cui vero unquam in mentem venerit, in his duobus Judæ versiculis Chiliasmum quærere? Quæsit *Peterfenius*, cui hoc mysterium, omnibus sæculis ignoratum, tanta luce, juxta Divinum scilicet vaticinium, Dan. XII. 54, 55, 49. revelatum est, ut, si ipsi fides habenda, sine scelere & salutis dispendio negari amplius & impugnari non possit. Quare ὁ νεῖψων μετὸ νεψῆ non veretur celeberrimis viris, *D. Aug. Pfeiffero* & *D. Joh. Frieder. Mayero*, contra confictum hoc regnum, more veterum recentiorumque Christianorum (qui quoties exeruerat caput hoc monstrum, bellum ei indixerant) insurgentibus, pœnam ex epistola nostra, qualis fuit Core, Caini & Bileami, qua è medio tollantur, impia temeritate denuntiare.

§. LIII. Sententiam viri ipsam de testimonio Enochico dum proposituri sumus in compendio, notamus in antecessum, eundem asseverare: *in eodem inveniri vestigium œconomiae ecclesiae, in his terris sub cruce & glorificatione clarissimum; & ita Chiliasmi partes tegit & describit. Clarissimum prædicat lumen, quod nec ullius quidem hominis oculos septemdecim sæculorum intervallo, præterquam unius, perstrinxit, cujus rei causam scilicet statim subjicit: atq; intelligitur, inquit, ab iis, qui Henochicam vitam degunt & mirabilia DEI cognoscunt.* Mirum itaque non est, vel ab uno tantum, vel à tam oppido paucis, idem videri, cum unus fuerit juxta Scripturam Henochus, qui חֲנוֹךְ אֱלֹהִים *Divinam duxerit vitam*, atque ideo in gloriam citra mortis viam translatus sit, quod de nullo amplius homine dictum invenitur, Gen. V. 24. Nec, si Henochica vita hodie inter Christianos supersit, quisquam sententiæ Peterfenianæ refragari aufit, nisi se vitam Henochicam non degere, nec mirabilia DEI cognoscere ultro fateri, sed potius Antichristianis illis impiis, quorum tota Judæ epistola plena est,

est, accenseri velit. Hæc tamen, qvaliscunqve est, animorum præoccupatio, ab examine novæ nos sententiæ haud quaquam dimovebit.

§. LIV. Sententia vero his nervis, nisi me omnia fallant, incedit. I. Subjectum, de quo tota epistola Judas loqvatur, esse Ἰσὺς ἀσεβῆς, genus hominū AntiChristianum, Apostoli ætate conceptum, v. 4. qvi spiritus Anti-Christianus fluxu temporis magis magisque creverit & ultimo demum tempore hominem peccati & filium perditionis plene ostensurus sit, apparitione Domini, κείσιν ποιησομένε, ê medio tollendus, v. 15. II. Probari id ex locis plane parallelis, ubi hic spiritus iisdem pæne verbis describatur, ad quæ se respicere ipse difertè fateatur Judas, v. 17. & 18. utpote cum Dominum hos ἀσεβῆς negaturos esse prædicat, v. 4. qvòd & dixerit Paulus, I. Tim. IV. 1. qvòd variis futuri sint sceleribus infames, v. 10. & hoc convenire cum Paulo, II. Tim. III. 1. & qvòd em-pactæ surrecturi sint, qvos & notaverit Petrus, II. Ep. III. 3. Quæ omnia hi duo Apostoli fore asserant ἐπὶ ἐσχάταις ἡμερῶν, ultimo tempore mundi, in quo nempe Anti-Christus dominaturus & tandem adveniente Chiliasmo destruendus sit. Qvòd porro hi Anti-Christiani populi cum magno Anti-Christo & spiritu ejus DEum & unctum ejus atqve omnes ipsius unctos & sanctos, (hi nempe sunt, qvi hodie appropinquante τῆς κυρίας ἡμέρας & Anti-Christi deletione, novum hoc Christi regnum expectant, venerantur & extollunt atq; ideo varia ab ejus hostibus convicia & scommata tolerare necesse habent) blasphemare & multa σκληρὰ in eosdem loqvi instituant, v. 8, 10, 15. quæ vero Anti-Christo magno cum ἐμφάνει tribuantur, Dan. VII. 8, 11, 20, 21, 24. XI. 36. Apoc. XVII. 13. XIII. 1, 4, 5, 6, 7. qvòd contradicturni sint instar Core, v. 11. qvòd idem de Anti-Christo pronuntiaverit Paulus, 2. Thess. II. 3, 4, 8. III. Negationem τὸ μόνον διασώτῃ καὶ κυρίῃ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, quam impio suo tribuat Judas, v. 4. non esse negationem Divinæ ejus naturæ, ut tota quidem, sed perperam, senserit anti-

qvitas sed negationem & oppugnationem gloriosi ejus regni Chiliaftici, qvod explicet ipse Judas, per *contemnere dominationem*, five regnum hoc Christi chiliafticum; & *διξας*, qvæ in regno hoc manifestandæ sint, criminari & convitiis profcindere, v. 8. Exponere hoc ipsummet Christum alibi, per, *nolle, ut Christus super ipsos regnet*, Luc. XIX. 14, 27. Qvales *δενεμένους & ἀνπλέροτας & βλασφημῶντας*, dictata ipsis, cum reliqvo Anti-Christiano grege, mortis pœna, nominaverat par illud Theologorum Anti-chiliafticorum, *Pseifferrum & Mayerum*. Est enim eidem Anti-Christus uno verbo Anti-chiliafta. IV. Hunc vero Anti-Christi spiritum non demum deletum iri in fine mundi, sed ante millennium Apocalypticum, evidenter probari ex Apoc. XIX. 20, 21. ubi dicitur Anti-Christus mittendus in caminum ignis, qvam conjectionem demum seqvatur capite XX. millennium istud adeo decantatum. Nec minus id ex Daniele patere cap. VII. ubi bestia & Anti-Christi deletio graphice describatur, qvam tamen v. 13. s. inseqvatur regnum Christi, in hac terra agendum. Ex qvo necessario seqvatur, Enochi nostri prophetiam non agere de judicio extremo, sed de particulari judicio, felicitatem millenariam antecedente & cum chiliaftimo immediate conjuncto. V. Deniqve hunc Anti-Christorum casum, adeoque & regnum chiliafticum, non longe abesse sed proxime instare. Luculento esse indicio, qvod hodie ubiqve conspiciantur illi ipsi Anti-Christi, vivis coloribus à Juda depicti. *Hos enim, ait, non opus est, ut IN ALIIS LOCIS anxie qveramus, cum HIS IPSIS TEMPORIBUS, Henochi spiritu in hunc usq; diem restante, magno numero conglomerari videamus, qui cum Caino fraternum sanguinem sitiunt, (Anti-Pietistæ nempe, ut recentis hodie nominibus, dictis lucem afferamus, Pietistarum) & falsi Propheta Balaami, (cui quidem Asseburgicorum vaticiniorum adoratores, ob manifestos oraculorum & eventuum errores, rectius & commodius compararentur) errore ducun-*

317,

*tur, Spiritus Core, Daiban & Abiram, contra Christum (brevis ad erigendum regnum chiliafticum venturum) ore blasphemio & contradictorio se opponunt.*

§. LV. Hactenus sententia Peterfeniana ex L. I. §§. 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16. itemque L. II. §§. 55, 56, 57. ea fide excerpta, ut haud putem, quicquam allatum esse, quin id pro suo autor sit agniturus. De quo iudicium, spero, in timore DEI, sine metu blasphemiae in Christum redundaturae, citraque formidinem ejusmodi exitus, qualem optimis viris minuitur autor, promere licebit.

§. LVI. Itaque I. Difficile dictum est, quid per Anti-Christum intelligat *D. Peterfenius*, & quomodo eundem, ut ab aliis impiis differat, definiat, si vel omnia ejus scripta perreptes. Publice hactenus recepta ecclesiae nostrae doctrina fuerat, quae & in omnibus compendiis proponitur, *duplici modo vocabulum Anti-Christi* (quod *D. Hulfemanni* nostri est Breviario verbis exprimam) *a Spiritu S. usurpari, vel etymologice, pro omni eo, qui qualitatem personae & doctrinae Christi ex proaeresi labefaciat.* Quo sensu *S. Johannes* aliquoties Anti-Christi nomen iis imponit, qui negant Jesum esse Christum; qui negant Patrem pariter & Filium; qui solvunt Jesum; qui non confitentur, Jesum Christum venisse in carnem, *1. Joh. II. 22. IV. 3. 2. Joh. v. 7. vel specificce, pro eminente & insigni illo seductore, qui minoribus & imbecillioribus Anti-Christis antonomastice praefertur.* De quo nempe, *1. Theff. II. 3, 4, 9, 11, 12.* Ut autem priori modo accepta voce, antiquissimi haeretici eorumque successores, Divinitatem Christi negantes, ab Apostolo haud dubie intelliguntur, ipso vocum naturali significato nihil aliud nisi errores circa Christi personam capitales insinuante: ita posterior acceptio in loco Paulino evidenter eum notat, qui magnae in doctrina fidei defectionis causa est, eo quod se pro DEO in ecclesia gerat, cultumque DEI non ad normam Christi, sed pro suo arbitratu instituat, i. e. Pontificem Romanum.

§. LVII. Haec

§. LVII. Hæc qvanquam ipsa litera textusque legenti ultro, nullo adhibito artificio, ingerat, *Peterfenius* tamen nihil horum agnoscere videtur; cui Anti-Christus potius est, qui se dominio & regno Christi opponit, illudque & ministros ejus ludibrio habet & convitiis proscindit. Cumque omne peccatum aliud legibus & dominio Christi repugnet, præcipue vero peccatum in Spiritum S. & Filium hominis, cum blasphemia in Christi doctrinam & officium conjunctum, quæ ut & alia hujus generis in iis etiam reperiri, qui non sunt Anti-Christi, facile *Peterfenius* concesserit: non possum ulla conjectura consequi, quid proprium sit Anti-Christo *Peterfeniano*, nisi quod hic regnum & dominium Christi non omne & in sua latitudine consideratum, sed illud adeo ab ipso pictum contumque, scilicet Chiliaasticum, dura verborum blasphemia impetunt, ceu & supra ostendimus. Quo pacto non potest non in ipso limine circulus à *Peterfenio* committi. Cum enim quæritur: unde probetur, Judam de Anti-Christo agere? respondebitur, quia ejus proprietatem recenset, quæ est convitiari regnum Chiliaasticum. Cum ulterius quæritur: unde probetur, de hoc convitio Judam agere? Respondebitur, quia de convitio, Anti-Christo proprio, agat. Quod est in idem redire.

§. LIX. Si res aliter se habeat, clariorem mentis expositionem promte audiemus. Venia enim nobis merito dabitur, si in re obscuriori, quippe hæctenus inaudita & innumeris diffusissimisque novitatibus turgente, non omnia penetremus. Dicere confidenter quis ausit, si omnes singulosque Patres aliquis & universum Scholasticorum gregem, & quicquid uspiam recentiorum Theologorum est, ne ipsis quidem exclusis Fanaticis, centies perlegerit, hospitem tamen eundem fore in Theologia *Peterfenio-Chiliaastica*. Adeo pleræque hujus Chiliaasmi hypotheses, fundamenta præcipue s. literarum, innumero numero

mero iisdem substrata, (quæ teste hac ipsa *νεφέλη* quoti-  
die crescunt) nusquam antea gentium (quicquid sit de Chi-  
liasmō generatim considerato) ullibi comparuerunt. Quid  
itaque mirum est, si, qui omnem ætatem in mustea hac  
Theologia haud triverunt, mysteria ejus omnia non sta-  
tim aut explorent aut intelligant?

§. LIX. II. Institutus cum aliis locis parallelismus,  
si recte eum intuearis, nihil habet, quod solide concludat.  
Nam primo in descriptione particularissimæ alicujus vel  
personæ vel rei, qualis hoc loco Anti-Christus esse suppo-  
nitur, non una tantum alteraque proprietas, à qua illa de-  
pingitur, sed omnes singulæque conjunctim attendendæ  
sunt; ut adeo ex iisdem, nonnisi collectim sumtis, recte ad  
personam vel rem concludere possis. Fieri enim posse  
palam est, ut in uno alteroque, imo etiam in pluribus, illa  
cum personis rebusque aliis conveniat, inutilisque redda-  
tur consequentia hæc: alibi nonnulla descriptionis mem-  
bra pariter occurrunt, ergo & ibi de eadem re necessario  
sermo est. Quod innumerorum de Christo in V. T. vatici-  
niorum exemplis constat, quæ si mutilata discerptaque a-  
libi locorum quærere & ex præsumpto hoc parallelismo ad  
Christum concludere instituas, erroribus te necessario in-  
volves. An ideo illustre Jesaïæ vaticinium c. LIII. vel de  
Israele, vel de Jesaïa aut Jeremiæ agit, quia Judæi varia-  
rum phraeon in Propheta, cum Jeremiæ, aut Jesaïæ, aut  
Israelis historia in sacris convenientiam speciosè ostendunt?  
Jam quotquot à *Petersenio* *ἐκ παραλλήλων* loca allegata sunt,  
vix quartam proprietatum, quæ in epistola Judæ occur-  
runt, partem in se continent. Nihil in Daniele, nihil in  
Paulo, nihil in Petro, de gratiæ ad luxuriam translatione,  
nihil de scortationibus, nihil de Sodomia, nihil de carnis  
pollutione, nihil de *ἐνοπιαισμοῖς*, nihil de peccandi *ἐναίθεσις*,  
nihil de insana lucri cupidine, nihil de intemperantia victus,  
nihil de non intellectorum obtrectatione, nihil de offensio-  
nibus

G

nibus fratrum in agapis, nihil de respectu personæ utilitatis causa, nihil de immisericordia erga fratrem, nihil de plurimis aliis.

§. LX. Secundo, nec excipi potest, præcipuas proprietates attendendas esse. Nam quæ sint auctori, qui scribit, præcipuæ, non supponendum ex ficta quadam hypothese, sed immote probandum est. Si vero, quod præcipuum est, æstimari ex eo, quod primo præcipuoque loco ponitur, debet, præcipua ejus, contra quem stilum stringit Judas, proprietas ἡ ἀσέλγεια fuerit & luxuria, cujus species potestea intemperantia victus, incontinentia libidinis, impotentia iræ & odii erga fratrem, aliisque ejus generis per totam epistolam diffusis, describuntur. Si judicium fiat ex eo, quod frequentius repetitur & severius impugnatur, præcipua proprietas subjecti Apostolici, inordinatus & monstruosus libidinis æstus fuerit, quem adeo sollicitè & tanta ubique cura castigat persequiturque, ut non potuerit, quicquid usquam fuit doctorum, inde non colligere, impuros istos seculi Apostolici Simonianos & Gnosticos ab Apostolo præcipue notari, de quorum abominandis circa Venerem spurcitiis ad horrorem usque & ingenti consensu veteres conqveruntur, quorum testimonia ad v. 4. sedulo conqvisivit *Martini*. Apud Euseb. II. 13. Justinus: *nihil tam impurum esse aut excogitari unquam potest, quod flagitiosissima istorum secta longo intervallo non superet, adeo ut non modo scriptis prodi, sed ne quidem sermone efferi possint à modestis hominibus, ob nimiam turpitudinem & obscœnitatem.* Quis hic non inueniat ἀσέλγειαν illam Sodomiticam, exfornificantem, post alienam carnem euntem, corpus polluentem, ipsos bestiarum more corrumpentem, juxta omnem libidinem suam incedentem? Ut per totam epistolam hanc ἀσέλγειαν depingit Judas.

§. LXI. Tertio si ipsa τὰ σκληρὰ καὶ ὑπέρογκα, *dura & superba*, quæ contra Christum herum & dominum loquuntur,

tur, ceu præcipuam subjecti Apostolici proprietatem urgeas, ut facere *Peter senius* videtur, qui ideo tam diligenter illud Danielis & Johannis conferre jubet: *os, magna loquens*, cur hæc proprietas non æqve inveniatur in Simonianis, de quorum coryphæo Lucas: *ἔλεγε εἶναι τῶν αὐτῶν μέγαν*: & apud *Euseb.* loco allegato Justinus: *immissi sunt à Damone homines quidam, qui DEos se esse dicerent; ex iis fuit Simon Samaritanus: & de Samaritanis ipsis: hunc Samaritani prope omnes & ex aliis gentibus nonnulli, summum DEum esse confitentur, Helenam quoq; confitentur, qua publice in lupanari prostituta, eamq; summi DEI notionem esse affirmant, qua occasione in detestabiles eorum libidines supra memoratas digreditur.* Annon hoc est: *τὸ τίμα αὐτῶν ὑπέρογκον λαλεῖν, θαυμάζοντες ὡσεὶ ὄψαι*, v. 16. *os eorum superba loquitur, dum personam, Simonis aliorumqve admirantur?* Et quid clarius Petrino illo, vere *παραλλήλῳ*, 2. Pet. II. 18. qui superba ista impiorum verba in hunc præcipue finem directa esse profitetur, ut faciliorem libidinibus suis viam invenirent? Quod non potest aptius quam de Simone & Simonianis intelligi; superba & magna de se loquebatur Simon, ut his lasciviæ suæ suorumqve libidinum turpitudinem eo speciosius tegetet. Nam & gentilium Dii, quantumlibet adulteri & promiscuarum libidinum amantes, peccasse tamen non putabantur, quia Dii erant, quibus omnia licebant. Ita Simon, & ipse primo libidinosus, & deinceps ad parem libidinem sollicitans alios. Verba Apostoli sunt: *superba vanitatis loquentes* (superba magnaqve de se prædicantes, quæ tamen vana & mendacia sunt, cujusmodi illud, Act. VIII. 10. *οὗτος ἐστὶν ἡ δύναμις τῆς θεῆς μεγάλη*, nec enim τὸ ὑπέρογκον τὸ ματαιότη- τος) ob ipsam vocum constructionem ullo modo de superbis contra Christum dictis intelligi potest, quippe quæ non sunt ὑπέρογκον ματαιότητος, *superbe quidem dicta sed nihil in se habentia, verum ὑπέρογκον ἀσβείας superbe quidem, sed impie & temerarie prolata) pellicunt in desideria carnis & luxuriem*

eos, qui paulo ante ex erroribus elucati fuerant, plane ut Simon Samaritas, novos Christianos; ἐξίσωρ τὸ εἶναι τὴν σαμαριανῶν, ὡς ἀποσηχῶν πάντας δὸτὸ μικρῶς ἕως μεγάλου, seducens gentem Samariae, quippe cui auscultabant omnes à minimo ad maximum, Act. VIII. 9, 10. Nec postea, vel vere vel simulate ad Christianismum conversus, animum priorem exuit; quin relapsus ad sordes, DEum sese, Justino teste, esse gloriatus est, eoqve sectarios suos, ceu addit Eusebius, ita decepit, ut secretis ipsius auditis, protinus animi ipsorum percellerentur, ruerentqve ceu impetu quodam in infandas illas libines, quarum insaniam verbis Eusebianis paulo ante descripsimus.

§. LXII. Nec apparet, quid excipere possit Peterfenius, nisi, alibi tribui os magna loquens Anti-Christo, & forte: ipsummet Simonem esse unum de Anti-Christis. Quasi vero unum prædicatum non possit pluribus tribui, & Noa redderetur Filius DEI ideo, quia de utroqve ex æquo dicitur, quod sit *predicans justitiam*, Jes. LXIII. 6. 2. Pet. II. 5. Et quomodo Simon unus de Anti-Christis esse potuit, cum spiritus Anti-Christi Judæ ætate, *lacertos tantum movere inceperit*, juxta Nubem, L. I. p. 10. Simon vero ὑπίεργον & ἀσθηῶν in eminentissimo gradu fuerit, adeo ut in magnorum Anti-Christorum numerum ideo fuerit à Grotio susceptus.

§. LXIII. Quarto, ut in parallelismo suo Peterfenius, quicquid tam operose dixerat Judas, eiqve vere παρὰ δὴν Πέτρος, de ἀσελγείᾳ ejusqve speciebus, imprimis de monstris eorum, qui subintroierunt, libidinibus, sicco pede & alto silentio præterit: ita vix credo eundem hæc flagitia Anti-Christis suis hodiernis, aut imputaturum esse aut obiecturum, in quos tantum ob ὑπίεργον & σκληρὰ, criminationes, derisiones, blasphemationes regni Chiliastici & insimulationes hæreseos Cerinthianæ tam acerbe invehitur, ut velit ideo ex regno Christi exclusos & sublatos esse regione

ne viventium, reliqua flagitia omnia, tam studiose à Juda enarrata, ac si ea nihil Anti-Christos hodiernos attinerent, dissimulans & silentio involvens. Quod annon parallelismum suum vehementer reddat suspectum, nisi denuo novas, quæque nullius mentem legentis naturaliter subintroeant, libertatem causaturus filiorum DEI à servitute hominum, interpretationes comminisci velit, ipse dispexerit.

§. LXIV. Quinto, quis credat dubitandum esse, quin colluvies illa populorum Gog & Magog, à Diabolo post millennium suscitandorum, qui civitatem sanctam, in qua Christus regnat & exercitum sanctorum, aggressuri denuo (juxta thesin quartam, *der Wahrheit des herrlichen Reichs Christi*) & afflicturi quantumlibet brevi tempore sunt, Christum herum & dominum, excusso ejus jugo atque dominio, cumque eo sanctos millenarios blasphematuri, *ὑπεροχὰ καὶ ἀλλοτρίαν* contra eosdem locuturi & sese in omnibus iis sceleribus volutaturi sint, quorum catalogum texuit Judas, adeoque Anti-Christi secundum Peterfenianam definitionem in summo gradu futuri sint, qui tamen non judicabuntur ante sed post millennium? Quid itaque impedit, quo minus hi ultimi Anti-Christi & hoc ultimum judicium ab Enocho & Juda intelligatur? Imprimis cum uterque millenarii regni & felicitatis Chiliasticæ, Anti-Christi casum infecuturæ, adeoque futuræ post hoc judicium, ne uno quidem verbo faciat mentionem, & utrobique judicium futurum esse, utraque manu largiatur *Peterfenius*.

§. LXV. Sexto, quærerere haud immerito ex *Peterfenio* licebit, annon singula ista, quæ subintroducitis suis tribuit Judas, prædicata, vel singulatim vel etiam collectim sumpta, etiam in homines summe impios quoslibet, qui tamen non sint Anti-Christi, aut in regnum Chiliasticum blasphemi, convenient aut convenire possint? Non credo

hoc ulla specie eundem negare posse; qvid enim impedi-  
 et? Nondum in indicem testimoniorum Chiliafticorum rela-  
 tus pfalmus Davidis decimus, nisi forte Nimbus, quem  
 nubem infecuturum esse sperat autor, hunc locum aliaque  
 innumera in Chiliaftmi abyffum posthac absorpturus est.  
 Nihil est scelerum, nihil flagitiorum à Juda memorato-  
 rum, quin & hic quoque complectatur, deque impio, ge-  
 neratim accepto pronuntiet. Vocat רשע *impium*, ἀσεβή.  
 Adscribit eidem גאווה & גובה אפים / σκαλεσθησεται ὑπερηφανον, *pre-*  
*tumidam superbiam*, & qvidem כל מוסותיו / אין אלהים /  
 κυριότησιν ἀθετῶσιν, DEum nihil timentem, ipsius providen-  
 tiam & dominium nihil curantem, אלה פיהו סלה / os *ma-*  
*gna loquens*, כבזה אלהים / contemtum & blasphemiam DEL,  
 תהלה על תפארת נפשו / τὸ πορεύεσθαι καὶ πρὸς ἄβυσθους αἰψῶν,  
 הרגה בקי / *Viam Caini*, aliasque non minore numero  
 aut pondere, ac Anti-Christo suo recentiores. Simi-  
 lia legas, Pl. XII. 1. per totum, Pl. LIII. Pl. LXXIII. 6. & a-  
 libi passim.

§. LXVI. Septimo contra universum hunc institu-  
 ti parallelismi apparatus, duo immota producimus argu-  
 menta. Quorum primum ex universalitate iudicii, ab  
 Henochio insinuati defumitur, constringiturque hoc Syl-  
 logismo:

Quodcunque iudicium simpliciter est universale, & in  
 omnes omnino homines, & in omnes omnino impi-  
 os, & in omnia omnino peccata administrandum, id  
 non est chiliafticum (quippe quod neque omnes ho-  
 mines, neque omnes impii subibunt) sed extremum  
 & ultimum.

Enochicum ————— Ergo.

Minor eousque vera erit, donec immotis argumentis de-  
 monstratum fuerit, a litera textus, quæ universalitatem il-  
 lam triplicem in terminis complectitur, esse recedendam,  
 qualia argumenta hæctenus adducta non esse, ex discursu  
 insti-

instituto patuit. Alterum à summo impietatis gradu, à  
Juda diserte expresso, procedit:

Quicumque agit de hominibus impiis, secundum omnes impietatis gradus in mundo jam tum, cum scriberet, existentibus, is non agit de Anti-Christo, lacertos movere incipiente.

Atqui Judas ————— Ergo.

§. LXVII. Nempe adeo evidens est, à Juda describi impios homines, qui, se jam vivente & scribente, callide in ecclesiam introierant, qui ipso facto gratiam DEI ad luxuriam transtulerant, qui Christum dominum & herum negaverant, qui dominationes & majestates blasphemaverant, agapas fidelium fœdaverant, qui carnem suam polluerant, qui omnibus concupiscentiis indulserant, ut oppido cœcus sit, qui femina tantum horum vitiorum clam suppullulantium notari existimet. Paulus quidem, sed alia longe verborum dispositione, suo jam tempore *ἐν τῷ γαλατῶν τὸ μυστήριον* dixerat, quasi secreta quadam ratione parturiri, non erupisse in nervum & ipsos Anti-Christi unguis ostendisse. At Judas omnia contra. Adeste *ἀσθεῖς*, assidere publicis conviviis, libidinum coeno contra naturam se immergere, aliorum eleemosynas sine fronte, sine pudore, *ἀφόβως* devorare, DEum ministrosque ejus audacter contemnere, superba duraque contra eosdem loqui. Hoccine est, mysterium scelerum Anti-Christianorum in occulto operari? Imo ob istos *ἀσθεῖς* necessitate quadam Divinitus se permotum esse scribit Judas, ut ad serium Christianumque certamen adversus istas Christianismi *αἰματῶδες* & maculas suos exhortaretur. Idne adeo necessarium fuerat adversus istos futuri Anti-Christi embryones, nondum natos, in occulto mysterio latitantes & motum tantum quendam in utero ostendentes? Adeoque plane pervasi sumus, citius de Turcorum Muphti Enochicum vaticinium & Judæ epistolam, quisquis cerebrinis istis de  
Chi-

Chiliaftico Anti-Christo imaginationibus non est *ἐνυμια-  
ζόμενος*, quam de Anti-Christo intellecturum esse.

§. LXVIII. III. Quod loqvendi formam *negare so-  
lum herum, DEum & Dominum J. C.* concernit, quæ ratio  
est, quod eandem ex illo potius loco: *nolumus ut hic super  
nos regnet*, qui nec unam phraseos illius vocem complecti-  
tur, quam ex vere parallelo, qui & subjectum idem & idem  
prædicatum in iisdem vocibus habet: *ἀρνήμενος*, ὅτι ἰησοῦς  
ὁ υἱὸς τοῦ Χριστοῦ, 1 Joh. II. 22. reliquisque hunc amplius expli-  
cantibus, 1 Joh. IV. 3. 2 Joh. v. 7. exponat *Peter senius*? Quæ  
loca Divinitatis Christi, à Patre per generationem acceptæ,  
negationem ita manifeste enuntiant, ut vécordiæ simile ef-  
set, ea de re dubitare. Nec desunt inter nostros quoque  
Theologos, qui τὸ μόνον θεοπότην θεῶν, ad DEum Patrem re-  
ferant, quo pacto exactius in Johanne responderet, τί: ἀρ-  
νήμενος τὸ πάσης, καὶ τὸ οὐδὲν, cuius & asserti ratio statim sub-  
jicitur. Alterum quoque ex ipsa epistola nostra locum,  
quem pro obtinenda sententia sua adducit, cum dicitur:  
*dominationes spernunt, glorias blasphemant*, phrasin illam in-  
terpretari, quia nullo argumento probatur, merito rejicitur.  
Idque eo magis, quia nec eandem loqvendi rationem  
complectitur, (cum ἀπειθεῖν ordinarie & absolute positum  
sit mentis, ἀθετεῖν vero voluntatis) & quæcunqve gene-  
ralem illam Judæ propositionem, *gratiam DEI transferunt  
in luxuriam & solum herum DEum Dominumq; J. C. negant,*  
insequuntur, effectus sunt ex hac luxurie tanquam fonte &  
causa profuentes. Ut enim ἀσβῆς ideo carnis voluptati-  
bus ad stuporem usque indulgebant, quia cum gratia Di-  
vina omnem luxuriam stare posse persuasi erant: ita reg-  
num Christi gloriamque ejus convitiabantur, quia crede-  
bant, merum illum hominem esse & cum Divinitate, o-  
mnia gubernante, nihil commune habere.

§. LXIX. IV. De tempore quo delendus est Anti-Chri-  
stus, non opus est, ut solliciti simus, cum de Anti-Christo,  
im-

imprimis illo Utopico, in epistola nostra, ceu antea indubiis rationibus probavimus, nihil agatur. In Danielis vero vaticinio sole meridiano clarius est, non temporarium quoddam, sed extremum iudicium describi, quod imperium Christi & sanctorum sequitur, non certo tempori alligatum, ceu vocem על cum aliud subterfugium ipsis haud superfit, exponunt Chiliastæ, sed æternum, quippe quod לא יערה ולא תחכל non auferitur, neq; corrumpitur, quodque est regnum עלמא ועל ערמא ועל עלמי in seculum & usq; in seculum seculorum, ter repetito æternitatis verbo, ne quæ impudens & temeraria glossa determinatum tempus, quale ceterorum imperiorum, imprimis Romani, plus quam millenarii, fuerat, somniaret. Nec repugnat alter locus, Apoc. XIX. 20, 21. ea accuratione à celeb. D. Pfeiffero tractatus c. VI. p. 230. f. ut refelli potius idoneis rationibus debuisset, quam ob justum piūque zelum in regnum chiliasticum (מלכות פאמטואס plenum, atque ideo, quocunq; loco intuearis, non minus ridiculum quam monstrosū, Christoque indignum) exercitum, nescio quibus maledictionibus, à quibus mens vere Christiana abhorret, involvi.

§. LXX. Ut in jucunda ista & propinqua Chiliasticarum deliciarum exspectatione sese delectent, qui opinionem istam plus quam fallacem adeo alte imbiberunt, ut mortem potius parati sint oppetere, quam hanc, impressæ animo veritatis, ceu vocant, particulam deserere, non inviti patiemur, dummodo exuere affectus & rem citra præiudicium considerare, nec iis, qui ex melioribus verbi Divini fundamentis aliter persuasi sunt, necessitatem imponere velint, regnum hoc פאמטואס, variisque fidei articulis, ut jam olim cum multis aliis Theologis immortalis vir gloriæ Job. Gerhardus censuit & ostendit, insidias struens, omnibus viribus oppugnandi.

§. LXXI. Optamus tamen interea, ne illi cum Cai-  
H
no

no fratrum suorum gregem, ecclesiam orthodoxam, quæ ab hoc dogmate, exceptis paucis rerum novarum amatoribus, æternis temporibus aliena fuit, ob rejectum errorem, in ecclesia nunquam receptum, semper exosum, semper expurgatum, infesto odio persequantur & altare novum contra altare vetus erigendo, sint ἀποδιορθῶντες ἐκείνην, ut Judas noster loquitur, *ab ecclesia se separantes*, & schisma, quantum in se est, inducentes; ψυχικῶν, carnali affectu defendendi semel proposita ducti, καὶ πνευματικῶν ἔχοντες, *spiritum ingenuæ caritatis & cum reliqua ecclesia communionis non habentes*. Optamus, ne cum Bileamo meliora ex ipso ore DEI, in verbo suo, unica credendorum norma, loquente edocti, fallaci spiritui, falsas revelationes jactanti, hasque canoni jam diu clauso, sub eadem canonis autoritate (cum omnis revelatio, etiam quæ hodie fit, *canonem in se habeat*, juxta præfationem partis secundæ, *der Wahrheit des herrlichen Reichs Christi*) addenti, fidem adhibeant, Deoque qui se solum in re fidei audiri cupit, obliuctentur. Optamus denique, ne cum Core, Dathan & Abiram, Spiritui per Mosen, Prophetas & Apostolos loquenti, totique DEI ecclesiæ, quæ tanto tempore sine nova hac Chiliaistica doctrina quæta fuit, contradicere, turbasque ex turbis excitare pergant. Ita reducetur pristina tranquillitas & inimicis nostris ansa omnis insultandi nobis præcidetur.

§. LXXII. Vers. XVI. *Hi homines neutiqvam Spiritui DEI, per verbum ipsos monenti, sedato animo obtemperant, sed quia in voluptatibus summam ponunt felicitatem, si quid adversi aut non ad ipsorum voluntatem fluentis ingruat, ilicet murmuratores sunt & de sorte sua cum DEO expostulant, semper itaque queruli sunt & in contentiones proclives; cetera quidem indulgentes cupiditatibus & secundum prava desideria sua incedentes. Et ut dignitatem libidinibus suis concilient, nec ita male illorum gratia apud plebem audiant, nescio quam autoritatem fingunt, atque*

os illorum impurissimum *pratumida* & superba vanitatis (2 Petr. II. 18.) loquitur atque effutit. Quæ licet vanissima sint, reperiunt tamen discipulos, qui non tantum ejusmodi nugis faciles præbent aures, sed etiam illorum, qui hæc protulere stolta, *personas*, tanquam quantivis precii homines, *admirentur* atque *utilitatis*, quam captant, *gratia magnifaciant*.

§. LXXIII. Quæsi verit hic aliquis, annon totus hic versiculus continuatio sit vaticinii Enochici præcedentis? Non multum quidem interest si ve negetur (& hæc communis est sententia) si ve, quod non adeo absurdum putamus, affirmetur. Nam ita I. fortius validiusque impios suos constringeret Judas, proponendo pœnam, impietati ab Enocho non generatim tantum, sed in specie quoque ei, quam in suismet reprehenderat Judas, dictatam; ac si diceret, his ipsis peccatoribus quales vos estis, Divini judicii severitatem Judas sigillatim denunciavit. II. Enumerantur in hoc versu ea ipsa delicta, quæ in præcedente epistolæ parte jam reprehenderat Judas. Murmuratores sunt Koritæ, dominationes contemnentes & blasphemantes dignitates, contentiosi & queruli Cainitæ, sorte sua non contenti atque ideo cum germanis fratribus in jurgia effusi. Qui secundum cupiditates suas ambulant, omne ἀσελγείας genus, quod delineat Judas per totam epistolam, incontinentiam, avaritiam, prodigalitatem, iracundiam, inconstantiam complectuntur. Quorum os superba loquitur, blasphematores sunt Domini Jesu heri sui, cuius honorem exemplo Simonis ad se rapiunt. Qui personas admirantur privatæ utilitatis causa, ii sunt, qui his ipsis adhærent, eosque colunt. Quos in tam brevi epistola Enochii potius quam suismet verbis, quæ supervacuum repetitionem spirare videri poterant, iterato nominare conveniebat. III. Orationis quoque connexio, qua vox οὐτι ad immediate antecedentes ἀσιβῆς referretur, eorumque

præcipuas species exprimeret, hoc pacto longe commodior esset, quam si juxta vulgarem opinionem Judas primo homines impios describeret prolixè, deinde interjiceret Divina judicia, tum in descriptione iterum & fere dixerim per tautologiam quandam continuaret sermonem, subjiceretque exhortationem.

§. LXXIV. Vers. XVII. *Vos autem, ut ad vos, ô carissimi, me convertam, vidistis, qualis hujusmodi hominum sit impietas, & quænam illos maneant supplicia, itaque ne (quod abominor!) horum numerum augeatis, recordamini verborum, quæ ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi prædicta fuerunt, ne ignorantiam vestram excusetis.*

§. LXXV. *Vos autem. Tò autem innuit, se convertere Judam ab impiis ad fideles. Neque enim crediderim, opponere Apostolos & Henochum; hoc enim ab intentione ejus alienum esset. Verba ab Apostolis prolata *αὐλεγομένα* vocat, non *σπερμαγμένα*, sicut & sequenti versu, *ἐλεγετε* non *ἐγγραψαν* dicit, ut adeo possit intelligi, quicquid fideles audiverant ab Apostolis, sive prædicantibus sive scribentibus, 2. Thess. II. 15. Jam tum vero exstabant Petri, Pauli & Johannis scripta, in quibus de iisdem empæctis & profanis hominibus prædictiones habentur.*

§. LXXVI. Vers. XIX. *Id autem animo vestro obversetur, quod dixerint vobis, tam voce quam scriptis momentes, idem nempe, quod jam olim Henoch prædixit, scilicet quod ultimo tempore, quod inter prædicatum evangelium & consummationem seculi intercedet, non alias frequentius futuri sint omnis generis impii, irrisores, verbum DEI contempnim habentes & in impiis suis cupiditatibus, quæque libido ipsis prava dicitavit, incedentes.*

§. LXXVII. *ἕα τὸ χεῖρον*, cujus meminit Apostolus, non innuit hic ultima Chiliaistici Anti-Christi tempora, sed illam temporis periodum, quæ inter Christum & finem mundi intercedit, (1.) quia hæc phrasis respondet locu-

locutioni V. T. באחרית הימים / quæ ordinarie tempora  
Messiæ notat. (2.) Quia ita reliqui Apostoli diserte interpretantur, 1. Cor. X. 11. 1. Joh. II. 18. Heb. I. 1. (3.) Quia alias admonitio Apostoli omni robore careret : Ne offendamini, ô fideles, qui hodie vivitis, profana Christianorum vita; scitote enim, sub finem quoque mundi tales profanos futuros esse. Quin potius, quia hoc ipso tempore tales sunt, ἐξ ἄλλου ὄρατε adeste Apostolus exertis colligit verbis, 1. Joh. II. 18. (4.) Tales ipso actu adeste versu statim sequente pronuntiat : οὗτοι εἰσιν οἱ ἀποδοχιζόντες ἑαυτοὺς, *hi ipsi, quales nunc descripsi, se ipsos ab aliis separant*, de quo mox dicitur.

§. LXXIIX. Porisma : Quicquid etiamnum hodie impietatis, contentionis, hæreseos, schismatum in ecclesiam sese insinuat, veros fideles nequaquam offendere potest. Norunt enim, scripsisse Apostolos : *prediximus vobis*.

§. LXXIX. Vers. XIX. Hi qui ab Apostolis vobis sunt delineati, isti sunt, qui *semet ipsos*, dum fideles impiam ipsorum doctrinam & turpem vitam ferre non possunt, ab ecclesia, atque adeo à DEO *segregant*, homines *animales*, corruptæ naturæ suæ raptum sequentes & *Spiritum DEI*, qui saniora præscribit, *non habentes*, nec ductui ejus obtemperantes.

§. XXC. Crucem fere interpretibus fixit hæc vox : ἀποδοχιζόντες. Alii de separatione sui ipsius à DEO & vera ecclesia intelligunt, quod hoc argumento refellit *Tillemannus*, quia hoc hominum genus conjunctionem potius eum ecclesia in agapis affectaverint; alii de separatis conventiculis & collegiis, ut *Hornejus*, quæ res plane incerta est; alii de seductione & separatione aliorum à corpore ecclesiæ, quod schismaticorum est. Displicet hoc *Martino*, quia hi empæctæ omnem riserint religionem, negaverintque & resurrectionem mortuorum & futurum judicium. Intelligit igitur de separatione à conversatione civili aliorum, quibus se longe sapientiores æstimaverint. Id qui-

dem certum est, hos Separatistas non ex eorum fuisse genere, qui opinione singularis sanctitatis à reliquo ecclesiæ gregge semoti, privatos egere conventus, cujusmodi sanctorum omni tempore ad nostram usque ætatem ingens fuit copia, quosque in Inaugurali sua disputatione tam studiose quam solide descripsit, egregie hodie meritis de orthodoxa Bremensium ecclesia Theologus, *D. Jac. Hieron. Lochnerus*. Cum ii, quos in ecclesiam introiisse conquiretur Judas, non uniusmodi fuerint, nec uno etiam in statu perpetuo manserint, nihil absurdi est, si dicamus v. g. Simonem & Simonianos, aliosque similes ἀσθεῖς, primo subdole ecclesiæ adhæsisse, ejusque agapas frequentasse, postea vero manifestata magis magisque eorum hæresi & impuritate, cum veræ ecclesiæ cives ab iis abhorrere cœpissent, separationem ab illa fecisse. Utrumque itaque notare in his aliisque potuit Judas, & communionem & separationem.

§. LXXXI. Nec oberit, quod empæctæ nulli parti addicti omnem riserint religionem. Id enim de iis, empæctis verum erit, de quibus agit Petrus, qui à parte prima ultimorum temporum, de quibus Judas noster, ad postremam, quæ in fine mundi erit, progressus, empæctas ἐν ἀκμῇ describit, omnis religionis illusores; ut interea empæctæ, à Juda delineati (est enim descriptio apud utrumque Apostolum plane diversa) veræ ecclesiæ, ejusque sanctis institutis illuserint, omne genus voluptatum ecclesiæ puritati præponendo, terrenorum & hujus mundi mancipia. De quibus & recte dixit Judas, ψυχικὸς esse, qui suos potius appetitus sensusque, utpote gulæ, avaritiæ, iræ, superbiæ, libidinis, quam motus tactusque Divini spiritus, ad optimarum virtutum complexum eos invitantis, sequantur.

§. LXXXII. Vers. XX. *Vos autem, ô dilecti, procul este à profanorum ejusmodi hominum consortio, & magis*

gis atque magis vos *superinadificantes sanctissima fidei vestrae*,  
 crescite & roboramini contra tentationes ejusmodi *ἀπειθῶν*,  
 ut fitis fundati & stabiles (Col. I. 23. 1. Pet. V. 9.) in fidei ve-  
 strae doctrina, quæ non talis est, qualis impurissima illa  
 hominum illorum, quos dixi, sed sanctissima & ad veram  
 sanctitatem obtinendam iter præmonstrat; quæ vero in fi-  
 de constantia ut vobis Divinitus obtingat, precibus opus  
 est, itaque *in Spiritu S.* qui spiritus precum est & quomodo  
 preces fundendæ, nos sanctis quibusdam motibus, per  
 jugem verbi meditationem excitatis, edocet, *orantes.*

§. LXXXIII. Plane spiritu plena videtur annotatio  
*A. Wiffowatii*, hominis non veri tantum spiritus expertis,  
 sed professi etiam ejusdem hostis, quam omni modo pro-  
 batam hic apponimus; ita autem ille annot. ad h. l. *De-  
 bet fieri precatio in Spiritu Sancto --- ita ut spiritus noster,  
 seu animus, vi spiritus evangelici* (qui ipse Spiritus Sanctus  
 est, per verbum operans & sacros in nobis motus exci-  
 tans, quanquam sanctum hunc Spiritum, ejusque Divinam  
 naturam & essentiam, non agnoscat vertiginosus ille *Wisso-  
 watii* spiritus) *afflatus atque animatus sit & sanctis quibusdam  
 moribus commoveatur, ex diligenti rerum Divinarum conside-  
 ratione, vel etiam ut spiritus Divini cœlitus nobis in corda no-  
 stra missi, velut ignis cœlestis vi, noster spiritus ad preces ar-  
 dentes accendatur & inflammetur; ac ut spiritus ille Divinus,  
 in cordibus nostris habitans, infirmitatibus nostris etiam in o-  
 mni opituletur; vid. Rom. III. 26, 27. quod fit præcipue in ten-  
 tationibus.*

§. LXXXIV. Vers. XXI. *Vosmet-ipsos*, quantum in  
 vobis est, *in amore DEI conservate* & ne illo unquam, im-  
 piorum vestigia premendo, excidatis, providete; *exspe-  
 ctantes* demum *misericordiam Domini nostri Jesu Christi*, qui  
 vos non æternum cum impietate & afflictionibus variis  
 luctari patietur, sed denique ab omnibus malis tam culpæ  
 quam poenæ liberabit & *in vitam æternam*, regnum illud  
 glo-

gloriosum , nobisque expectatissimum , benignissime transferet.

§. LXXXV. Porisma : Ut fides fundamentum est certaminis contra omnem impietatem : ita caritas & spes, quæ & ipsæ fidei inædificantur , certaminis bonitatem arguunt, in DEum & proximum diffusam , animumque ad certaminis finem, qui est æterna animarum beatitudo, in fide confirmant.

§. LXXXVI. Vers. XXII. *Et cum vobis versandum sit quotidie cum varii generis hæreticis , quorum quidam sub specie Christianismi vobis intermisti sunt & in agapas vestras inque sacros conventus irreperunt ; alii cœtus à vobis diversos agunt , vosque ipsos dissolvere omnibus modis & sibi adjungere satagunt ; superest ut vos doceam, quomodo cum hoc hominum genere vobis , imprimis ministerio ecclesiastico, prudenter sit versandum. Qui quidem hæretici, cum non sint unius generis, non uno quoque modo tractandi, sed delectu habito, aliorum quidem, qui vel ab aliis seducti sunt, vel ex mentis infirmitate errant, qui que lenitatis spiritu ad corpus ecclesiæ, non acriori objur-gatione, qua deteriores reddantur, revocandi; illorum, inquam, placide miseremini.*

§. LXXXVII. Si vulgata lectio hic retineatur, quam emendatissimi codices hic præferunt , nihil plane difficultatis erit. Nempe cum subintroeuntes illos in ecclesiam impios variis modis, propositis & scelerum turpitudine & eorundem suppliciiis, reprehendisset Apostolus, quia tamen illi, sub religionis Christianæ specie, consortio, imo conviviis ceterorum Christianorum se insinuabant, quomodo cum iis, præcipue ministerio ecclesiastico, versandum sit, tum vero ceteris fidelibus ostendit. Indicat autem hujus admonitionis clausula : *odio habentes etiam carne maculatam tunicam*, cum primis ab Apostolo respici impuros Simonianos & Nicolaitas, quæque circa illos vel moderatio vel severitas sit adhibenda, doceri.

§. LXXXIIX.

§. LXXXIIX. Verſ. XXIII. *Alios vero, quos contumaciores eſſe animadvertitis, terrore iræ Divinæ & æterni ſupplicii, ad ſaniorẽ mentem revocare conamini, adeoque incuſſo metu, quantum in vobis eſt, ſervare eſt flamma illos, qua jam ambuſti quaſi ſunt, rapientes.* Interim quo periculoſius conſortium eſt, quod cum ejuſmodi hominibus colendum, hoc magis cavendum vobis, ne ſceleratis illorum moribus inſiciamini; inſtar enim contagii ſerpunt in incautos; abſtinetes itaque à commercio illorum familiariori, odio habentes interiorem illorum familiaritatem, tanquam tunicam leproſi, cujuſ contactu malum illud derivari in tangentem ſolet, ita & vos averſamini ipſam etiam quaſi tunicam carne maculatam, id eſt, pravas libidines, quibus caro delectari ſolet & iis tamen ſcæde, niſi caveat, polluitur.

§. LXXXIIX. Non inelegans eſt Tilemanni obſervatio, *ſed cum metu, etiam de metu ipſorum ſervantium intelligi.* Ut enim omnes Chriſtiani cum timore & tremore adoperari debent, ut ſerventur, Philipp. II. 12. ita multo magis convenit, ut qui aliorum, imprimis hæreticorum & vitiiſ immerſorum, ſalutem procurare ſatagunt, cum timore, cum ſollicitudine, cum quadam animi anxietate id agant, ne malorum liberiore conſuetudine commaculentur. Svadere hanc ſententiam videtur, quod ſubjiciatur: *odio habentes carne maculatam tunicam.* Quanquam nec vulgarem ſententiam diſſvadere videantur verba, timori illi adjecta: *ex igne rapientes,* & Pauli illud: *peccantem coram omnibus argue, ut reliqui,* maxime autem ipſe, metuant, 1. Tim. V. 20.

§. XC. Phraſis: *odio habere maculatam tunicam,* deducta citra dubium eſt à ritu, quo prohibebantur Iſraelitæ immundas leproſorum veſtes tangere, Lev. XIII. 52. Indigitatur autem per locutionem hanc metaphoricam, familiarius hominum immundorum (eos enim cum primis reſpici, toties in epiſtola noſtra facta huius vitii repetitio arguit) conſortium devitandum eſſe, ne iis inſiciamur. Quam pulchre vero conſpirat illud Chriſti: *μιῶν τῶν ἔργων τῶν Νικολαιτῶν, odi opera Nicolaitarum,* canum illorum laſcivorum; qui & Angelum eccleſiæ Epheliſinæ laudat, quod illa pariter odio habeat, Apoc. II. 16. Ut adeo haud ſciam, an dubitandum amplius ſit, ad carnem potius libidinofam, quam generalius acceptam carnem, qua originariam hominis corruptionem notat, alludi.

§. XCI. Porisma: *Qui ex carnis imbecillitate, præoccupati errore quopiam, delinquunt, moderate ſpiritu manſuetudinis tractandi ſunt, quia fieri poteſt, ut & nos ejuſmodi inſirmitatibus tentemur,* Gal. VI. 1. Qui vero moniti iterum iterumque, errandi peccandi que pertinaciam induerunt, ſeveris increpationibus, condemnationibus, excommunicationibus ter-

rendi sunt, ut in se redeant, & Spiritus illorum salvetur in die Domini nostri  
Jesu Christi, 1. Cor. V. 5.

§. XCII. Verf. XXIV. *Ille vero, qui solus in nobis velle & perficere operatur, quique & fidei donum & ejus perseverantiam benigne concedit, adeoque ab offensa immunes servare vos potest, ne pessima hominum exempla ad similia scelera vos invitent, nec fidei finalem faciatis jacturam, & constituere vos potest in conspectu gloriae suae, quando die novissimo in throno gloriae appariturus est, inculpabiles, per fidem in sanguine suo ablutos, cum exultatione laetos & omnibus malis defunctos; illis è contrario, qui hic magno suo malo laetitia diffluxere, aeternum lugentibus.*

§. XCIII. Cum Pelagius ex voce ἀνάσσεις collegisset, hominem à peccato immunem esse posse, respondet Hieronymus L. I. adv. Pelag. p. 271. *Non intelligis, quae proposueris. Neque enim homo potest esse sine peccato, quod tua habet sententia: sed potest, si voluerit, Deus servare hominem sine peccato & immaculatum sua misericordia custodire. Hoc & ego dico, quod cuncta DEO possible sunt. Homini autem non quicquid voluerit possibile est, & maxime, id esse, quod nullam legeris habere creaturam. Quae responsio nequaquam satisfacit. Dicendum enim fuerat, ἀνάσσειν esse, qui immunis est ab offensa. Non offendit autem DEUM, qui voluntarie non peccat, sed ex insuperabili infirmitate. Quaequam enim peccata infirmitatis, una cum peccato originali, vere sint peccata & in se considerata DEUM offendant, non tamen offendunt, si persona per fidem cum DEO sit reconciliata. Ita enim offensa tollitur, nec peccatum amplius imputatur.*

§. XCIV. Verf. XXV. *Soli sapienti DEO, eidemque servatori nostro Jesu Christo (cui nomen hoc soli oeconomicè, ob praestitam in carne salutem, competit) huic, inquam, quem impii illi, quos in tota hac epistola descripsi, negant & convitiis incessunt, sit gloria & magnificentia vere Divina, robor & potentia, quae illi ab aeterno competit, & nunc & in omnia secula. Amen.*

§. XCV. Porisma. Christus verus & essentialis DEUS est, Servator, Redemptor noster, qui potenti sua dextra in fide nos conservat, qui à peccatis mortalibus immunes nos praestat, qui olim aeternis nos gaudiis & ἀγαθιάσσει coelesti perfundet; cujus nomen, quod est super omne nomen, Divinum est, & in omnem glorificetur aeternitatem! Eodem vero Servatori nostro, qui vires animumque ad subeundum hunc perficiendumque, quem pro interpretando verbo ipsius & vindicandâ, quam in illo revelavit, veritate, laborem suscepimus, concessit, pro Divino hoc beneficio sit gloria & divitiâ & potentia, in seculorum secula! Amen.



*Viro Summè Reverendo, Celeberrimoque,*

**DN. HECTORI GODOFREDO MASIO,**


consummata eruditionis prudentiæque Theologo, deque Ecclesiâ  
nostrâ indefessis laboribus, sanctis consiliis, scriptisque immor-  
talibus dudum meritissimo,


Amico & in Christo Fratri conjunctissimo, Salutem à DEO Patre  
per JESUM Christum in Spiritu S. pl. precatur


JO. RECHT. D.


**S**Exennium præterit integrum, Vir Excellentissime, quum Divino consilio ad extremam hanc Germaniæ oram delatus, affectus primum Tui, mox & amiciæ particeps redditus, literarium Tecum colere commercium cœpi. Invitavit me non tam locorum propinquitas, cum extra Germaniam nostram nulla Academia Havniâ vestrâ nobis sit vicinior, quippe quam naves nostræ unius plerumque diei itinere adeunt, quam doctrinæ Tux & virtutis latè diffusa fama. Ex illis ingenii Tui divitiis, quantum subinde vel ad me vel ad alios redundare utilitatis posset, non vanâ opinatione præceperam; firmaveratque animum meum is, qui inestimabili cum Academiæ & Ecclesiæ nostræ damno rebus humanis ereptus, inter cœlites nunc degit, utriusque nostrum intimâ, liberâque ab omni hujus mundi furo, amicitia junctus, D. JUSTUS CHRISTOPHORUS SCHOMERUS. Cui viro nec inusitatò ingenii acumine, nec perfecto de rebus quibuslibet judicio, nec diffusâ folidâ eruditionis scientiâ, nec consiliorum ad admirandam prudentiam exactâ incredibiliqve promptitudine, quemquam facile Theologorum, quos mihi intimè novisse datum est, parem extitisse, ego quidem, qui neminis ideò vel famæ vel eruditioni detraho, sed omnem veram infatigamque virtutem quodam naturæ impulsu in pretio habeo, ex quo eundem propius intueri potui, semper persuasus fui, neque sententiæ meæ, maximorum in mundo virorum suffragio non destituta, ad hunc usque diem me poenitet. Is verò cum acerbo nobis, mihiqve intolerabili ferè fato substractus esset, quis in illius locum, dolorem meum solaturus, vel dignior Te, optime MASI, vel melior succederet? Quippe iis Te muneribus donisque Divina liberalitas instruxit, quæ & venerationem AUGUSTISSIMO REGI Tuo, & Academiæ Vestræ ingenuum nominis Tui cultum, & admirationem universo orbi literato, denique bonis omnibus pro salute Tuâ, meritorumque in Ecclesiam porrò dispensandorum diuturnitate, preces extorqueant. Ex quo factum est, ut sive de fatis Ecclesiæ nostræ, quæ funestiora eidem forte nunquam incubuerunt, sive de virorum sapientum circa ea consiliis, sive de editis in publicum scriptis, quæ vel Ecclesiam inimico odio infestarent, vel serpentibus erroribus & divulsionibus adferrent medicinam, cedere hæcenus sermones potuerimus. Quare in tantâ hodie animorum distractione quicquam salutaris esse haud potest. Sed & id commodi isthæc inter nos scribendi rescribendiqve societas nobis attulit, ut natos ad seculi decus & Ecclesiæ ornamentum juvenès commendare invicem, & sive erudiendi colloquendiqve officiis, sive cohortandi, excitandiqve auctoritate, firmare in studiorum virtutumque instituto, iisque ad præclara quævis & ingentia addere robur animumque possemus. Horum in numero eminet TRELLENDUS Tuus, nec ingenio nec judicio cuiquam impar, in quo juvene summa modestia cum singulari eruditione, quam Tibi omnem debet, æquo pede incedunt. Mei verò illi, JAUCHIUS, FAUSTIUS, VEIELIUS, & hic quanti hodie Theologi Filius! qui non in minores universi laudes efflorescunt, humanitatem Tuam planè admirabilem, KRACKEVIZIUS verò, Theologi illius non minus genere quam nominis celebritate nobilis, Pronepos, beneficia etiam Tua, dum per Te REGIÆ MAJESTATI insinuatus, ejusque adjutus muni-

ficentiâ , sacrorum studiorum cursum pro innato ipsi sciendi ardore Lipsiæ prosequi alacriter potest , uno ore impensè dilaudant , vehuntque in cœlum . Nunc verò novum Tibi adfero Academiæ vestræ civem , nomine Tibi nequaquam ignotum , ingenii elegantia , modestia morum , variarumque pulcherrimarum & præclarissimarum rerum notitiâ , nemine antea laudatorum inferiorem , MATTHIAM HENRICUM BURCHARDUM . Hujus Fratrem Germanum , PETRUM ANTONIUM BURCHARDUM , Tu præceptis quondam Tuis & veræ sapientiæ dictatibus ita finxisti formavisti que totum , ut jam ante sexennium Magni REGIS judicio , ob rariore ingenii dotes , cunctaque præsidia , ad amplissimum officium necessaria , confecto laboribus meritisque Parente , & earundem animarum curâ & plurimarum Ecclesiarum inspectioni præfectus , sufficeretur ; postquam antea in Kiloniensi Academiâ maximorum virorum , CHRISTIANI KORTHOLTI & DANIELIS GEORGII MORHOFII ita promeruisse favorem , ut inter invidenda eundem Scholæ suæ decora numerarent . Qui verò has indolis suæ virtutumque imagines , sui quam simillimas , & ad hanc vitam progenit & ad meliorem illam , quam nunc agunt , eduxit , Theologus ille est , Fanatici jam olim spiritus Burignoniani domitor , Ecclesiæ , quæ in sacro Holsatiæ portu Vagrico est , Antistes , reliquarumque per vicinum districtum Præpositus , non ingentibus tantum meritis , sed canâ etiam senectute verè venerabilis , GEORGIUS HENRICUS BURCHARDUS . Nosti sanctum hoc caput , quod inter diurnas nocturnasque pro Ecclesiâ curas , vigiliis , sudores , ætatem ad annum septuagesimum secundum ita produxit , ut quum alii extremo hoc vitæ spatio & corporis & mentis viribus defectissimi reddantur , annosus hic senex animum sine ullo langvore retineat viridem vegetumque . Documento mihi sunt viri epistolæ , subinde ad me scriptæ , pietatem quidem & judicium planè senile , id est , maturum & excoctum , scriptionis verò vigorem tam vividum , tamque juvenili quodam flore enitescens spirantes , ut Divini Spiritus ignes in devexâ hac & tardigenulâ , ut ille ait , ætate nullâ sui parte imminutos deprehendas . Hujus itaque viri alterum Filium , Fratri suo nullatenus cessurum , Tibi commendo , Vir Celeberrime . Adfert ille disputationem , à se compositam & vel stylo , terso illo & verè Burchardiano , proprium ingenium prodentem . Ter jam antea , me pariter Præside , in publicâ cathedrâ Theses ex Theologiâ Biblicâ paulo fusius diductas , eo animi ardore , eoque judicio defendit , ut juvenis ingenium non potuerim non admirari , gratularique literariæ rei de eximio fructu , ab illo quondam expectando . Nunc Parentis exemplo opinionem verè *φαντασιώδη* & ut Judæ nostri verbo utar , *ἐνυπνίαζομένην* adoritur , expugnat & , si opus posthac fuerit , locum suum , semel occupatum , omni vi conatuque tuebitur . Quo ipso eò svavius se Tuo favori insinuabit , quo alienior es ab his ejusmodi monstris , quæ Ecclesiam hodie nostram sub pietatis involucri non tam inquietant , quam infestant & dilacerant . Quare BURCHARDUM hunc meum , nullâ posthac in re quam solo forte modestiæ verecundiæque excessu peccaturum , benignè suscipe & pro more Tuo modis omnibus exorna , non tam in Parentem , Familiamque , quam Ecclesiam beneficium collaturus . Id ego à Te enixè oro rogoque ; id mecum suis à Te precibus contendit , qui BURCHARDUM hætenus & hospitio excepit & domo , D. JOACHIMUS LINDEMANNUS , Academiæ nostræ Professor & ædis primariæ Ecclesiastes , vir ut omni elegantiori doctrinæ genere instructissimus , ita ad demerendam officiis suis juventutem summo semper studio & toto animi affectu propensus , qui BURCHARDUM & ob animi pietatem , in colendo DEO indefecatâ devotione perpetuò occupatam , & ob ingenii , variâ eruditione imbuti , acumen , tenerrimo semper amore profecutus est . Vale , Vir & Theologe Excellentissime , Ecclesiæ nostræ , bonorumque omnium saluti . Scr. Rostochii ipsi Cal. Sept. A. O. R. M. DC. XCVI.









באחרית הימים / quæ ordinarie tempora  
 (2.) Quia ita reliqui Apostoli diserte interpre-  
 X. II. I. Joh. II. 18. Heb. I. 1. (3.) Quia alias ad-  
 toli omni robore careret : Ne offendamini,  
 hodie vivitis , profana Christianorum vita ;  
 sub finem quoque mundi tales profanos fu-  
 rin potius , quia hoc ipso tempore tales sunt,  
 esse Apostolus exertis colligit verbis , 1. Joh.  
 tales ipso actu adesse versu statim sequente  
*οὗτοι εἰσιν οἱ καταδικασθέντες ἐαυτοῖς* , *hi ipsi, quales*  
*ipsos ab aliis separant* , de quo mox dicetur.

IX. Porisma : Quicquid etiamnum hodie  
 attentionis, hæreseos, schismatum in ecclesi-  
 at, veros fideles nequaquam offendere pot-  
 nim, scripsisse Apostolos : *prediximus vobis*.

X. Vers. XIX. *Hi qui ab Apostolis vobis sunt*  
 at, qui *semet ipsos*, dum fideles impiam ipso-  
 & turpem vitam ferre non possunt, ab ec-  
 leo à DEO *segregant*, homines *animales*, cor-  
 suæ raptum sequentes *& Spiritum DEI*, qui  
 bit , *non habentes* , nec ductui ejus obtem-

Crucem fere interpretibus fixit hæc vox :  
 Alii de separatione sui ipsius à DEO & ve-  
 lligunt , quod hoc argumento refellit *Tile-*  
 oc hominum genus conjunctionem potius  
 agapis affectaverint ; alii de separatis con-  
 legiis , ut *Hornejus* , quæ res plane incerta  
 ctione & separatione aliorum à corpore ec-  
 nismaticorum est. Displicet hoc *Martino*,  
 æ omnem riserint religionem, negaverint  
 onem mortuorum & futurum judicium.  
 de separatione à conversatione civili alio-  
 longe sapientiores æstimaverint. Id qui-

H 3 dem

